This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


Digitized by Google

Ce LIVRE apartient
à
MICHEL FRANCOIS
PELCKMANS.
Louvain ce 17 31/5 75 - e-e

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT
9570
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VITA ET MARTYRIVM

S. LIBERTI

MALINATIS

ET MECHLINIENSIVM PRINCIPVM

ADONIS ET ELISÆ

FILII.

HISTORICA FACE ET POEMATIS VARIIS AVCTA, ILLVSTRATA

STVDIO ET OPERA

R. P. IOANNIS ANTONII A GVRNEZ

Congregat. Oratorij D. IESV *Presbyteri.*

Cuncti Martyres deuotissimè percolendi sunt, sed specialiter ij venerandi sunt à nobis, quorum Reliquias possidemus.

S. Ambr. Ser. 77. de Tauricis Martyrib.

MECHLINIÆ,

Apud HENRICVM IAYE, Bibliopolam Iuratum, Typographumque Ciuitatis. 1639.

Digitized by Google

IN FIDE CONSTANS.

Digitized by Google

AD NOBILISSIMVM AMPLISSIMVMQVE INCLYTÆ VRBIS MECHLINIENSIS SENATVM.

Obilissimi, Amplissimi Viri. Ecce iterùm ad subsellia Vestra nostræ Musæ, Astrææ Vestræ judici subiectæ,& abilla,sic ominantur,præsidij & ornamenti non parum relaturæ. Vt hoc sibi promittant, facit; quòd innocentiæ suæ candore tutæ, & piæ in Vos Vrbemque Vestram voluntatis paruis licet, fretæ conatibus, Curiam & Areopagum Vestrum accedunt, cuius ea est gloria, vt non magis terribile reis sit tribunal, quàm benè conscijs asylum, innocuis perfugium, benè meritis etiam præmiorum adytum quoddam & sacratius penetrale. Nam & vestram hanc in seueriori loco humanitatem prorsus singularem expertæ nuper eædem fuêre;licet rudes adhuc & abortione veriùs, quàm partu tempestiuo in lucẽ editæ, cùm in solenni illâ aduectionis Lipsanorum sancti

Digitized by Google

LIBERTI pompâ, ſtudium qualecumque hoc meum Vobis dicarem, priuato cultu SS. morum. Vrbis huius Tutelarium, & fauore veſtro interea contentus; nihilque minùs tunc arbitratus, quàm vt à pictura ad Typographicum prælum, ab hoc in publicum quandoque proſiliret. Viſum eſt tamen poſteà ijs, qui nos in imperium obtinent, vt affectum hunc publicè etiam teſtarer; tum vt quam in Scholæ veſtræ Publ. moderatione, & negotioſo illo ludorum otio diligentiam ponamus, Vobis, alijſque pluribus illuſtriùs appareret. Fuit apud Athenienſes ſapientiæ totius Græcanicæ præſides, mos legibus Draconis primùm, deinde Solonis celebratus, vt Ciues apud vrbis præfectos de inſtituta à ſe vita quotannis rationem redderent, pœnâ illis, qui otio tempus exegiſſent, per Draconem capitali decretâ. Nobis quoque, quibus otiari nec gratum, nec permiſſum; vt tamen induſtria acuatur, & alijs probetur; placuit, vt eorum, quæ auribus & oculis ſpectantium ſæpe damus, ſpecimen Lectorum iudicijs, quæ tranquilla magis & moroſiora eſſe ſolent, permitteremus. Hanc verò Spartam, quam ego nuper colueram, & depictam non Apellis manu, ſed more, publico vico ſpectandam dederam

Digitized by Google

dederam; in manus resumpsi, descripsi, pauca addidi, argumenti genere non parum gauisus, quòd pietati in Indigetem Vestrum, & Vrbis gloriæ consulere videretur. Certè iustissimus animū dolor subinde tenuit, cùm inter cetera B. LIBERTVM Martyrem, huius Vrbis Alumnum, Comitis Mechl. filium, gregis hîc sacri præsidem ac moderatorem, singulare denique Mechliniæ delicium & diuinum ornamentum non satis à suis ciuibus nosci, res verò eius præstantissimas, maximasque virtutes fugienti memoriâ vix à paucis retineri animadverti: quò tamen nescio, an Sanctorum Belgicæ perpauci, ortu prodigioso, rebus gestis & vitâ admirabili, morte denique Martyrio insigni superiores, aut pares illi censeri debeant. Quid enim LIBERTO vel seculi suffragijs illustrius, qui regiâ Pipinorum, hoc est Brabantiæ Ducum, mox Franciæ, postremò etiam totius orbis Monarcharum prosapiâ editus, Adonis Mechlin. Comitis & soboles & heres extitit? Quid eius natalibus admirabilius, qui præcedentibus Prophetijs & ex repromissione natus? & vt cum Theodorico Abbate loquar, qui quasi nouus Isaac parentibus effetis & sterilibus è cœlo concessus? B. RVMOLDI Præsulis, quasi Zachariæ alicuius precibus

Digitized by Google

Alter huic suæ Vrbi CHRISTI prodromus datus? omnium denique simul lachrymis, ieiunijs, eleemosynis, meritisque est impetratus? Quid porrò simile illi prodigio vsquam reperitur, quo iam grandior tertium diem in flumine patrio submersus, ad eiusdem RVMOLDI preces aquis rediuiuus emersit? contra recurrentis fluuij impetum se promouens in ripam euasit, corpore toto & vestibus ita siccis, vt non flumine obrutus, sed ne leuiter quidem tinctus aut aspersus fuisse videretur? Magna quidem hæc sunt, sed quia horum laus cum parentibus, aut S. RVMOLDO illi communis, propria eius admiror. Atque in primis præstantem illum ac heroicum rerum labiliū in re adeò lauta contemptum, illud summum Christianæ & Ecclesiasticæ perfectionis desiderium atque studium, illas quoque pietatis in Deum & amoris ardentissimi flammas, quibus, verbo dicam, sceptra proculcans semel, Cleroque adscriptus, cuius portio & hereditas Dominus, diuinis se totum obsequijs mancipauit? Quâ deinde eius vitâ asceticâ siue Eremiticâ, (ita enim antiquorum nonnemo, Vlmetum vocasse legitur) quid in omni virtutis exercitio seuerius, quid consummatius, aut sanctius? Et in ea quidem tam

abso-

Digitized by Google

absolutum Tirocinium etiam primis annis posuisse visus est, vt RVMOLDI iudicio, qui sub se, ac deinde post se toti Sodalitio cum dignitate præesset, vnus omnium maximè dignus atque idoneus haberetur. Præter autem ceteras eius virtutes, singulari modo eminuit in LIBERTO Spiritus Apostolici vigor, & salutis proximorum zelus, à S. RVMOLDO illi infusus & hereditate veluti traditus; qui eum, quamuis arduos pro Dei gloria, reliquijs Ethnicismi perdendis, & fide propagandâ labores suscipere assiduò impellebant: ita vt meritò LAMBERTO, & RVMOLDO tertium hunc suum Apostolum accensere, & fidei Præsidum Triumuiratum quendam longè potiori iure, quàm suos illos infelices Romanam Remp. Mechliniam celebrare conueniat. His itaque vijs & regiâ Iustorum semitâ B. LIBERTVS ad mortis sempiternum illud decus sibi aditum fecit, quâ & vitam Dei caussâ ponere, & Martyrij per Barbaros adoream, ei tandem diuino munere licuit adipisci. Hoc autem fulgentissimum Vrbis Vestræ sidus, hoc præcipuum decus & ornamentum, hunc inquam, Indigetem Vestrum, & ex mortali Diuum factum, dum post octingentos à cæde annos cum sacris Reliquijs Corporis ad Vrbem suam redeuntem,

Digitized by Google

tem, quo decuit, pompæ apparatu & magnificentiâ accipere contendistis: illum Vobis viuis coloribus adumbratum ac pene rediuiuum exhibere conati sumus, quo & pietatem nostram in sanctum Martyrem, & Clericorum simul in cœtu degentium singulare lumen in publicâ huius vrbis lætitiâ depromeremus, & eius cultus Ciuium suorum animis altiùs deinceps, quàm hactenus hâc meâ, si fieri posset, opellâ insideret. Vobis verò, Nobilissimi viri, qualecumque hoc & perexiguum Clientelæ nostræ anathema, quod tunc dicatum fuit, nunc iterum inscribi debuit: quòd Schola Publica, in quâ natum est, vestro beneficio ad nos delata est; quam quoque affectu & amore ita prosequimini, vt matrem; ita subsidijs promouetis, vt altricem carissimam; sic patrocinio tuemini, vt peculium: ita vt non tantùm Majorum temporibus celeberrima, verùm & nunc, cum florentissimis Gymnasijs inter bellæ, quibus continuò ardemus, comparari possit. Superûm fides! Adeòne olim hanc Scholam Publ. nostram politiori litteraturâ floruisse, vt à Nicol. Clenardo, dum huic Institutiones suas Græcanicas consecrat, Athenæ Belgicæ, & doctrinæ emporium quoddam appellari: à Ioanne Brabantiæ

Duce

Digitized by Google

Duce & Academiæ Louanienſis conditore ſuis meritis digna, quæ prætermiſſo Louanio (niſi aliter quidam ſuis cõſilijs euiciſſent) in Academiã erigeretur, exiſtimari debuerit? Inſinuat certè Lipſius. Omnem verò laudem illud ſuperat, quod Ferreolus Locrius in ſuo Chron. Belg. refert: vt eius, imò Iacobi Middendorpij, quem vel teſtem vel auctorem citat Ferreolus, verba hîc deſcribenda cenſeam, ait enim; *Mechliniæ toto orbe celeberrimam Academiam fuiſſe, quæ domicilium Muſarum nuncuparetur, idq; fide dignos Auctores commemorare: Vbi aliquando nouem filij Regum, Principum 24. Comitum 29. eodem anno ſtuduerint.* O Scholã igitur, neq; enim voci affectus temperat, Publicam, nobilem, regiam! Ite, & Machliniæ vel *Maſſiliam* illam; vt Tacitus dixit, *Studiorum magiſtram*, vel Burdigalam & Toloſam ab Auſonio decantatas cõparate. *Oſcæ* in Hiſpania, ait Plutarchus, *Ludum Publicum Græcis Latiniſq; litteris Sertorius aperuit, & Hiſpanorum eò nobiliſſimos liberos conduxit, inſtituit, ſtipendijs é publico datis.* Vmbra eſt, non exemplum. Dabit tamen Euſebius: *Primus Quinctilianus Publicam Scholam Romæ, & ſalarium é fiſco accepit.* Quando ſcilicet *Veſpaſianus* (vt Suetonius de illo) *primus è fiſco Latinis Græciſq;*

lib 3. Lou. cap. 1.

Locrius ad an. 1128. in Theodor. Elſatio Middendorp l. 5. Academiarum.

In Sertorio.

Cæſarienſ. in Chronico.

)**(Reto-

Digitized by Google

Rhetoribus annua centena constituit. Id est, vt supputat Lipsius, Bis mille & quingentos Philippos. At inquis sæuitiâ temporum, neque tamen barbarie, sed latinitate magis vbique inuadente, auditorium decreuit. Causæ haud dubiè. Atenim nihil in hac Scholâ antiquus ille studiorum vigor relanguit, neq; ille primus flos litterarum emarcuit; sed etiamnum viuus lætusque perseuerat, & ex eâ fructus vberrimus (vox est, nec vetus Nobilissimæ Louaniensis Academiæ de hac ipsa testimonium) in vniuersos Reip. Christianæ status quotidie deriuatur. Verùm huius rei testes non Vobis alios, quàm Vosipsos proferam; qui eius lacte enutriti, qui in Scholæ sinu plerique creuistis, vt patriam Vrbem posteà fideliter feliciterque regeretis, at Deus bone! quâ Prudentiâ, æquitate, moderatione? Dixerit de Romano Senatu Lipsius, at totidē verbis vsurpabo: *Illos si inspicias, qui propriè sedebant ad clauum, proh Deus! quanta grauitas, sapientia, Majestas. Vt qui hunc ordinem perinde ex Regibus constare diceret, vnus veram eius speciem animo complecti videretur.* Ita certè Cyneas Legatus Pyrrhi de Romanis Senatoribus; qui ad Regem redux percunctanti, quid de hostium sede sentiret? *Vrbem templum sibi visum*

De Magnitud. Rom. lib. 4. c. 2.

Liuius IX.

Digitized by Google

visum, Senatum Regum consessum esse fatebatur, vt recitat Florus. Illa autem nutrix & parens Ingeniorum Schola, vt tantum grauissimorum Senatorum numerum intuetur, Corneliam Gracchorum matrem duobus filijs, quasi præstantissimis cimelijs exultantem glorioſè ſpernit, & pro Vobis ambitioſè illud Taciti profatur: *Quid? Vos pulcherimam hanc Vrbem domibus, & tectis, & congestu lapidum stare creditis? Muta isthæc & inanima intercidere ac reparari possunt: Æternitas rerum, & pax Ciuium & mea cum Vestrâ salus, incolumitate huius Senatus firmatur.* Et quidem meritissimò, nam Auorum Vestrorum tempore Petrus Nannius ad S.P.Q.M. in eandem sententiam ista: *Sæpe admiratus sum Vrbis Mechlinienſis non tam ſitus amœnitatem, munditiem, laxitatemq; platearum, ædificiorum magnitudinem simul & venustatem, quàm statum Reipub. perpetuò inconcussum, vt salubritas quæ est in genio loci, eadem quoque in moribus populi esse videatur.* Atque adeò certè illa tanta, vt Gramaius diserte in sua Mechlinia: *Et vno verbo dicam, non ſitus, non Majestas oppidi, sed populi pietas traxit illuc Archi-Præsulis & Primi in Belgio Cathedrã.* Quod eodem tempore, de quo Nannius, anno nimirum

Flor. lib. 1.

Tacit l 1. Annal l 1.

Ann. 1552

lib. 2 f. 11.

 1559. con-

Digitized by Google

1559. contigit. Illa autem per Patres Vestros conseruata, per vos aucta quantum huic Scholæ Publ. ornamenti conferre putanda est, quæ in hoc semper incubuit, vt non modò bonis disciplinis egregiè institutos, sed etiam optimis moribus præditos ad gubernacula Reip. quandoque moderanda præpararet? Illa igitur munusculo, animi sui in Vos perpetuum affectum testata, simul obtestari visa est, vt quâ in eam pietate semper hactenus fuistis, eâdem porrò sitis: vt illa nouos in excolendis nobilibus vestris Liberis labores positura, nouos Argonautas ad Reipub. clauum de manu fessorum Parentum aliquando capessendum submittere nón desinat. Ita eius vice vouet & optat, vt longùm per Vos, per Liberos posteroque Vestros Vrbem hanc æternùm, publico Reipub. & litterarum bono administretis.

Amplisſ. Vestrarum Dominationum
Humilis Cliens
IOANNES ANTONIVS A GVRNEZ
Oratorij D. N. IESV CHRISTI
Sacerdos, Scholæ Publ. Expræfectus.

Ode

Digitized by Google

ODE NVNCVPATORIA
MIXTIS NVMERIS
AD S. P. Q.
MECHLINIENSEM
IN MAGNIFICO ET TRIVMPHALI
LIBERTI
OLYMPIONICÆ
IN VRBEM PATRIAM REGRESSV,
AMPLISS. MAGISTRATVI, IN CVRIA
A NOBIL. ADOLESC. DICTA.

Sic, Calliope, Barbita ceſſant?
Plectro nec melicam pigra chelyn feris?
Nonne vides, vt
LIBERTVM celebrat ſuum,
Vrbium MECHLA gemma Belgicarum,
Elæo inſignem palmæ florentis honore?
En quadriiugis ſubuectus equis,
Auratos patrijs Victor Olympicus,
(Victor Olympi.)
Curtus mœnibus inuehit;
Tantùmque Vrbs alacres per aſtra plauſus
Attollit, geminatque io, quater Io, Triumphe
Ad alta Diuûm, cum populo frequens
Stipat templa Senatus;
Inſtar & Cœleſtium,
Dignatur ſuperi turis honore,

Digitized by Google

Et flore de aterno cerollâ
Indigetem, patriumq; Numen.
Tot ille sæclis, qui rosei, æthere
Duxit Nectaris haustus
Casus Hunnûm cuspides
Hasbanis remeat lauriger oris,
Et sera non vulgare sacris
Segminibus decus addit ætas.
Eia nouenâ Regina chori,
Tensis harmonicum dic fidibus melos,
Pindaricamq;
Aude vincere barbitum:
Athletam magè nobilem celebras,
Elis quàm cinxit quondam, vel Olympia palmis.
Vrbisq; simul concine laudes
Natalis, pugilem qua tulit inclytum:
Lilia funde,
Et rosis cumula sinus;
Cui iam se Rhodos, alta nec Corinthus,
Non Ephesus, vel Sparta, potens neq; præferat Argos.
Audis dicare munera, maxime
Victor, plectra Camœnæ?
Quosq; dedicat tibi,
Heroum genitrix, Belgica ocelle
Malina, cantus? pars superbi
Parua tui, sine, sint triumphi.
Delubra Alumno pone, dies age
Festos; Indico in auro
Vota splendens audiat:
Chordas Calliope nostra lacesset,
Quas barbito niuace triuit
Romulidûm sacra turba Vatum.

Ad

Digitized by Google

Ad Lectorem.

Auciſſimis te alloquar, Lector. Rem aggreſſus ſum, vt vides, arduam & meis viribus maiorem; Acta S. Martyris LIBERTI *obſcuriſſima luce donare. Conatum exhibeo, ſed conatum dico, & hinc proſam,* FACEM HISTORICAM *cum Lipſio* non ex ſuperbia, ſed ex proposito appellaui. *Gratiam habet magno Molano maximus Baronius, quòd ille in denſam ſiluam hiſtoriæ Belgicæ SS. primus greſſum intulerit, & ad vniuerſam hiſtoriam Eccleſiaſticam velut ſemitam præiuerit, quam maiore deinde orbitâ ipſe, alijq; triuerunt. Propoſitum mihi idem, facè præferre pluribus, & ad plura rerum Mechl. qui feliciùs, quia ingenioſiùs id genus illuſtrabunt, & Annæ Perennæ Memoriæq; conſecrabunt. Illud deinde mihi monendus es: Poemata noſtra raptim pro temporis breuitate, emblematum modo primùm, concepta, & depicta fuiſſe iuſſu & ſumptibus Illmi. Domini*

Præf. ad miii. Rom.

Prologom. ad notas Martyrol. Rom.

Digitized by Google

Domini Archi-Episcopi Mechlinienſ. atq; ex illis ſacra, ferculorum more, in ſolenni pompa circumlata: quotquot enim ſunt, Iconibus & picturâ exprimi poſſe, ſatis apparet. Et licet ad eam formam redacta ſint, vt illis carere ſine incommodo poßint; plerumq; tamen ad natales ſuos, qui cum Iconibus fuêre, illa reſpicere vbiq; ferè annotabis. Adiuncta tunc Epigrammatia fuerant, vt ſpatium in Tabulis vacuum implerent; nunc verò vt varietate quadam tuum animum recrearent, breuitate & pietate detinerent. Occaſionem huius ſcriptionis accipe ex Oda ſequenti.

SCRIPTIONIS HVIVS EX ADVECTIONE LIPSANORVM S. LIBERTI, OCCASIO.

ODE.

SEu fronde inumbras Pieriâ comam,
Siue Hippocrenes limpidioribus
Gaudens fluentis, ſub virenti
Fila moues numeroſa lauro;
Virtute functos pectine eburneo
Duces recenſens, quos labor arduus
Et pacta cælum Mors, ad aſtra
Difficili dedit ire cliuo:
Vni, remiſſis Melpomene omnibus,
Intende curæ non humili fide;
Quando Vrbium Malina, fama
Belgiadum, celebres Alumno

Plaudit

Digitized by Google

Plaudit Triumphos, qui Superûm choris
Tot retrò seclis iunctus, & igneas
Cœlestium potitus arces
Purpureo bibit ore nectar:
Nec sera glebis hactenus addidit
Ætas honores, Hasbanius tenet
Dum TRVDO, promercale solâ
Morte ratus decus invidendum.
His namque, Dani cuspide Barbarâ,
LIBERTVS oris occidit; hic ferax
Cælo intulit, scyphosque campus
Ambrosios dedit indipisci.
Hîc clausus vrnæ non merito situ:
Nec quale amori Regis, in aëra
Duxêre Cares; vel superbis,
Invidiosa Pharos, Monarchis;
Rudi at recisum marmore condidit,
Terræ sepulchrum viscеribus latens:
Donec Wiricus busta serò
Segminibus viduanda pandit,
Humoque dudum nobile protulit
Depostum; vt aris, vota precantium
Flauente resplendens in auro
Accipiat, meritâque dudum
Turis Sabæi laude superstites
Colantur artus. Hæc fuerat Patrum
Tunc cura, Nursini Parentis
Quos piceâ tegit Ordo veste.
Vbi in sacrata conspicuus togâ
TRVDO refulsit; Cœlicolûm tuas,
LIBERTE, virtutes honore
Per titulos, memoresque cultus
Proferre in æuum. Quin quoque laurea
Crinem decorus flumineo pugil
Vbi pauimentum cruore
Imbueras; licet inde pignus
Absit verendum, nec simili loco

Anno 1169. VViricus Abbas Trudonens. Corpus S. Liberti in loculum & in aram S. Trudonis transtulit.

)+++++(Immane

Digitized by Google

Immane templum nubibus imminet:
Greſſus tapes vetat profanos,
Perque quadrum Chalybæa crates.
At ſe beatis intereà ingemit
Egere gazis, Hasbanidûm quibus
Superba Tellus; Ciue tanto
Vix humiles animoſa faſtus
MALINA. Nutrix & Patria explicat.
Tantùm Leonis dum rapidi jubar
Quotannis, incenditque durâ
Exoriens Canis arua flammâ:
Hîc æde ſacrâ, quam propriam Pater
Aſtris minacem DVBLINIVS tulit:
Cultis odor fumauit aris,
Et teneras pia turba cantus
Concorde vocum diſſidio extulit.
At feſta Arator, non Olitor die
Ceſſans quieuit: vixque MECHLA
Mnemoſynen fugientem alumni
Seruare viſa eſt. Non tulit hoc magis
Primâ IACOBVS nobilis infulâ,
Antiſtitum decus ſacrorum,
Quique alios pietate vincit,
Honore quantùm: ſubuenit hic tuis,
MALINA, damnis imperio & prece.
O ingeni vis Dædalæa!
Rebus ô eximium gerendis
Natumque pectus! quod fluidis Tagi
Rubentis vndis nemo redemerat:
Diſerta non labore multo
Linguæ opulentia, rara Virtus,
Vrgenſque votum Præſulis occupat.
Trudonianos qui domita regit,
Muros pedo, Cygnæus Orphîne,
Cleri animos trahit obſequentes.
Dant præſto Caluæ diuiduas opes.
Quem flamma molli lambere verticem

Diuina

Diuina gestit luce, & aurêam
Cæsariem radiare Solem.
Illum haud senectus & fuga temporum,
Edaxque cespes; non carie aut situ,
Prô Cælites! post sæcla pudor
Puluereus temerauit ostro.
I nunc, superbum Pyramidem opus,
Bustumque Caris pendulum ab æthere
Extolle regis; nunc subiectis
Ruderibus premit alta Tellus,
Infida stultis hospitibus locat
Quæ visit æquè falcitenens senex,
Terræque, ieiunus, nepotes
Tantaleâ esurie fatigat.
Minoris vrnæ mira stupe ampliùs;
Post sæcla pignus quattuor integrum
Refudit aræ: par at isti
Religio est violasse fatis.
Adempta rictu temporis inuidi
Hæc ossa Alumni, MECHELA suscipis;
Discreta lypsanis Sodalis,
Quem Geticus simul hausit ensis.
Nunc ergò sedis tecta minacia
Educ ad auras, quanta Ephesus tulit:
Neque æreos, quales vetustis
Cæsaribus Ducibusque fusi,
Globos adapta, queis Cineris sacri
Gazam recondas; at tibi gemmeos
Carbunculi ignes & smaragdi,
Artificis manus allaboret.
I perge, pulchrâ clarus adoreâ
Athleta prodit: quâ licet, excipe
Pompâ, triumphali vt Quirites
Impositos retulêre curru;
Qualem aut reuexit puluere Olympico,
Elæa matres palma ad Achaicas:
Non fronde, non caret corollis
Illud iter, grauidâque laude.

Du-

AD LECTOREM.

Dirumpe hiatu mœnia non breui,
Structos per arcus pensilibus vijs
Incede, non inane summâ
Palladium positura in arce.
Cura at canendi sit tua, Apollinis
Asteræa proles, per liquidas fides,
Quas Pindarus, quas triuit acer
Romuleæ lyricen Camœnæ.
Dum cuncta lætis plausibus insonant,
Tacere turpe est. Eia age, Delios
Percurre neruos; dic quis ortus,
Quæque rei series sit actæ:
Dic, arte Martyr quâ facer, igneas
Conscendit arces; quàque habitabiles
Sol lustrat oras, glorioſis
Fama Viri properauit alis.

DE

DE VITA ET REBVS GESTIS

S. ANCTI LIBERTI MARTYRIS SYNTAGMA.

Viſquis nobilitatem generis ac virtutis, perpetuo velut fonte latiſſimè manantem admiratur ac ſuſpicit: is habet, quod in LIBERTI origine maximis entomijs in cœlum ferat. Proinde pugilis Sanctiſſimi laudes à primis ſcatebris deducam, ſi quæ fuerint illuſtris proſapiæ, à qua fluxit, ornamenta demonſtrâro. Illa certè in tanta nocte temporum, face admotâ indagaui: & ſi non Hiſtoriæ ſolem accendi, (quis enim id face præſtiterit?) lucem ſaltem aliquam denſiſſimis tenebris attuliſſe videri poſſum. Filia temporis veritas appellatur, ſed prolem etiam ſuam ſenex ille grandæuus conſumit.

Tempus edax rerum, tuq; inuidioſa vetuſtas
Omnia deſtruitis, vitiataq; dentibus æui
Paulatim lentâ conſumitis omnia morte. Ouid. Metamor. 15.

A face

Digitized by Google

A face autem illa mea hoc mutuatus exiguum lucernæ lumen profero, quâ ſparſim ibi & fuſè dicta in ſyntagma & epitomen redigo, & iuxta Comicum, Ignem in cornu concluſum porto: vt temporis idem ac rei, negotioſis pleriſque compendium fiat.

Non ad os, ſed veri normâ illud Principũ laudator:

Quod ſi nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atq; omnes redeunt in ſemina cauſſæ:
Quis venerabilior ſanguis? quæ maior origo,
Quàm regalis erit?

Claud. in laud. Sere.

Ita enim LIBERTVS Adone Comite Mechlinienſi & Eliſa Hasbani Comitis filiâ natus, paterno etiam genere nobiliſſimis omnis æui Pipinis, Auſtraſiæ & domûs Regiæ moderatoribus oriundus: omnium, qui de eo vel obiter meminêre, conſtanti vnanimiq́ue ſententiâ perhibetur. Maternum perinde genus ab eodem retrò ſtemmate propagatum eſſe, diſſertatione primâ pluribus demonſtramus. Itaque LIBERTI natalibus ab origine ſua ſic repetitis nihil ſublimius illuſtriuſque, ſiue ſanguinis, ſiue virtutis ſplendorem requiras. Fuêre enim Pipini Præfecti palatij, ſiue, vt Eginardus vocat, Maiores domûs Auſtraſiorum Regum; qui honor, eodem teſte

Invita Caroli Magn.

Digitized by Google

teſte, non alijs à populo dari conſueuerat, quam ijs, qui claritate generis & opum amplitudine ceteris eminebant. Ad eos quippe ſumma imperij pertinebat: Rex autem præter inutile nomen & precarium vitæ ſtipendium, quod ei Præfectus aulæ exhibebat, vix plura, quam nobilitatis infimæ aliquis ſinebatur poſſidere. Atque hoc ſublimi munere gens Pipinorum iam velut hereditario iure fungebatur, quando Rom. Pontificis indulgentiâ & auctoritate Pipinus cognomento Breuis, ad Regni Francici culmen euaſit. Eundem enim Magiſtratum à patre Pipino Herſtallo ſibi dimiſſum, Martellus Pipini Regis pater adminiſtrauerat: ille iterum à patre, tum ab auo Pipino ſeniore ſiue Landenſi, & porrò à Maioribus Carolomanno, Sigeberto, Anſgiſoque per manus velut ſuſceperat. Cuius quidem poteſtatis nomini nequaquam degeneres poſteri tantum addidêre gloriæ; vt ex præfectis Auſtraſiæ, vniuerſæ Franciæ moderatores effecti facilè ad Regni, mox etiam imperij faſtigium mirâ fortunæ felicitate emerſerint. Præter quæ à rerum noſtratium pleriſque ſcriptoribus, Pipini, primi Brabantiæ Duces & limitis Antwerpiani Marchiones, id eſt, huiuſce tractus contra Borealium gentium incur-

Digitized by Google

ſus Præſides cuſtodeſque nuncupantur. Horum autem vt virtutem bellicam diſſimulem, tantùm hoc
In prologo. Flori imitatus vſurpo: Ita latè per orbem terrarum arma circumtulêre, vt qui res eorum legunt, non vnius familiæ, ſed generis humani facta diſcant. Et vt ceteros prætermittam, vnum Martellum in exemplum produxiſſe ſufficiat, qui de Saracenis, cum iam Europâ potituri viderentur, tantam victoriam aliquando retulit; vt poſt hominum memoriam, Pompeiorum vel Cæſarum nullus parem hoſtium numerum vno prælio, vix pluribus, neque forſan omnibus profligârit. Quippe qui parciſſimè referunt, 375. millia peremiſſe ſcribunt. Huius denique militaris virtutis ſumma laus extitit, vt Barbaros tantùm fideique hoſtes domandi cupidi, victis etiam præcipuè imperarent, vt illos ad Chriſtianæ pietatis dogmata clementiâ, æquitate maximiſque virtutum exemplis prouocarent atque compellerent. Ab hâc verò militari ad eam virtutem morum & ſanctimoniam delabor, quâ ſic effulſit Pipinorum ſtemma, vt quot rami huius propaginis, totidem fructus honoris & ſanctitatis extiterint; neq; ſit aliqua in Eccleſia parentelæ ſeries quæ vel multitudine & præſtantiâ virorum ac viraginum Diuis aſcriptorum, vel meritis

meritis in Ecclesiam beneficijsque insignibus collatis comparari possit. Quamvis autem Pipinus primus, à Landa cognomen assecutus & prosapiæ vniversæ caput, in Sanctorum album relatus non legatur: ab Aimonio tamen, Stephano Abbate Leodiensi alijsque, sanctitatis titulo laudatur; & sacris Ambarualium siue Rogationum diebus in Prouincia Mechlin. Archiepiscopatus inter Diuorum ceteros invocari mos est. Ab alijs quoq; Brabantiæ Patriarcha & quidam credentium pater appellatur, quod singulari ipsius pietate, curâ, operâ Religio Christiana latissimè in inferiore Austrasia dilatata est. Neque tantùm eius progenies, ait quidam, virtute cæteris præluxit, sed fidei quoque prędicatores fuit, quorum multi ex Scotia & Hibernia prodiêre: ita vt eum, aliquotque eius successores, Christianissimos Europæ patres & principes appellare non dubitet. Inter Pipini illius Senioris posteros præcipuâ quidem sanctitatis famâ celebrantur Gertrudis & Begga eius filiæ, Godegrandus Metensis Episcopus, cuius laudes vberiùs alibi prosequimur, Carolus Magnus occidui Imperij vindex, Adelardus apud Ambianos Corbeiensis Abbatis officio egregiè functus, & hic sanctissimus LIBERTVS noster. Porrò in obliqua linea,

Aim. lib. 4. de gest. Frã cor. cap 19. Steph. lib. 1. cap. 2.

Procession. Mechlin.

Molanus. 21. Febr.

Digitized by Google

ex Amelberga sorore, eiusdem neptis fuit S. Amelberga Witgeri Comitis vxor, ac Diuorum totidem, quot liberorum fœcunda parens. Fuerunt illi Emebertus Episc. Cameracensis, Rainildis, Pharaildis, Ermelindis & Gudula Principis vrbis Bruxellæ Tutelaris. Rursum ex B. Walberto Amelbergæ sororis filio proneptes editæ SS. Aldegundis virgo & antistita Melbodiensis, & Waldetrudis Diui Vincentij Madelgarij coniux, ex quibus nouum Cælitum examen prodijt, Landricus Episc. Meldensis, Dentlinus, Adeltrudis, & Madelberta. His ita proditis ad maternũ Liberti genus Sanctorũ ingenti numero non minùs conspicuum illustreq; gradum facio. In his agmen ducit Alloynus cognomento Bauo, sanctissimus, vt Molanum exprimam, & celeberrimus confessor, patre natus Agilulpho Hasbaniæ Comite ac patruele Carolomanni, cuius filius fuit Pipinorum primus. Illo adhuc in viuis agente S. Trudo in agro Hasbaniensi parentibus Comitum titulo insignibus anno 628. natus, patrem habuit Wotbodum ex Pipini propinquis, matrem verò B. Adelam non Austrasiorum tantùm Ducum sanguine, sed virtutibus & miraculorum gloriâ clarissimam. Atque vt Gandaui Bauo, ita S. Trudo in auito prædio Cœnobium Sarci-

In natalib. 1. Octobet.

Moring. in Vit S. Trudon. Mirac. in fast. 23. Nouembris

Molanus in natalib.

Sarcinienſe, hodie à ſe Tutelari & conditore Trudonenſe dictum, ſuis ipſe facultatibus excitauit: Ad Superos demùm euocatus anno 693. In eodem Monaſterio per id temporis educatur S. Godegrandus ex Landrada Martelli filia & Sigrammo potenti nuptij ſque digno regalibus in Hasbania Dynaſta, ſanctitatis palmes propagatus. Vixiſſe quoque tunc Eliſam Liberti matrem oportuit, ſi quod pleriq; aſſerunt, Saræ ſimilis & ætate penè par, 66. annos cum Libertum edidit, emenſa fuerat. Ex quibus vides, quam iure Theodoricus Abbas dixerit, Eliſam æquè clari generis feminam, cum Adone marito de nobilitate certaſſe. Ab eodem quippe ſtipite per diuerſos ramos ſanctimoniâ æquè efflorescentes genus vtrimque pullulauit: rurſuſque cum per naturæ iura conceſſum eſt, in Wotbodo & Adela, in Landrada & Sigrammo, inque Adone & Eliſa connubialibus, tædis coaluit. Iactent igitur familiarum ceteræ Magiſtratus, faſces, imperia, opes, res patrum fortiter geſtas. Prædicet Maximus Metelli Macedonici domum rarâ quadam fortunæ indulgentiâ ad felicitatis culmen perductam, eique honorum, imperiorum, omnis gratulationis ſummam abundantiam obtigiſſe. Alia eſt in hac profapia beatitatis & ſolidæ laudis

In Vita S. Rumoldi. cap 3.

Val. Max. lib. 7 ca. 1.

Digitized by Google

dis materies, non illa à fortuna blandiori, sed à virtute meritisque ingentibus profecta: quæ quidem in illa sic principatum tenuêre; vt quamvis sceptra, Imperiales insulæ, Ducum, Comitum, omnisque dignitatis nomina minimè defuerint: insignis tamen illa pietas, sibi, quidquid est laudis, arroget; & velut solis fulgentissimum lumen, suâ claritate minores honorum faces obscuret. Et verò cum à radice tam sancta, & Heroum Diuorumque feracissima, Ado & Elisa, iterumque Libertus initia duxerint: tum ipsi tales virtute propriâ fuêre, vt quamvis tam illustria tamq; longo ordine repetita decora nõ adforẽt, hæc,

Quæ genus, & proauos, & regia nomina iactat:
Clara satis domus est nobilitate suâ.

Ouid. epist. 26.

De honorum titulis proprijs ostendo. Pipinus enim iunior, qui à Merouingijs ad Carolinum, id est, suum stemma, Francorum imperium transtulit; in diplomate sæpe postea citando, Adonem quidem illustri Affinis sui nomine compellat: quâ voce, in quacumque significandi vi acceptâ maximè certè sibi coniunctum declarasse voluit. Id enim in rescriptis deterioris ævi ac Latinitatis pessundatæ sæpe impropriè vsurpatum: sicque Carolus Francorum Rex in tabulis piarum largitionũ Stephanum Tungro-

Chapeauil. tom. 1. ad Anselmi. cap. 4.

Digitized by Google

Tungrorum Episcopum, suæ consanguinitati affinem dilectissimum vocat. At verò dicti diplomatis chartis, Adoni ob præclara merita & nauatam fideliter multis in rebus operam Pipinus Parisijs an. 753. Aug. 22. terrã tradidit *in Bratuspantij medio*, (sic verba sonant) *vbi Scalda Tylam excipit, dictam Frantis Maslinas, quod signat maris lineam.* Quâ donatione territorium, quod Comitatus nomine ac præfecturâ vicariâ rexisset hactenus, fiduciario iure possidendum accepisse videtur. Erat enim hoc æuo Comitum dignitas permagna quamvis illa, ferè temporalis. At verò quod ei etiam à plerisque tribuitur Archi-Comitis cognomentum, indicio est, non vnius vrbis aut exiguæ Prouinciæ, sed tractus longè maioris præfectum fuisse. Mihi veri-simile fit, limitem Marchiamque Antvverpiensem, quam antea per se administrassent Belgij incolæ Pipini, proximeque sub annum 725. Rohingus Princeps pijssimus, strenuo & propinquo, fortique viro Adoni per id temporis tutandam commisisse. Neque verò illud Archi-Comitis vocabulum recèns natum, aut ab hesternis scriptoribus confictum: cuius simili ante annum 1000. Brunonem Othonis Imp. I. fratrem, quod Lotharingiæ vtriusque, Mo-

Verba Diplomatis.

Suri Gramatus. I. Domyns.

Mira. not. Eccles. cap. 15.

 sellanæ

Digitized by Google

In Chron. ad an. 653

Mosellanæ ac Ripuariæ gerendas vices accepisset, Archi-Ducem Lotharingiæ Sigebertus appellauit.

Iuuenal. sat. 8. Sen. epist. 67.

Virtus deinde, quæ à Satyrico Nobilitas sola atque vnica dicta est; quæque, vt scribit Seneca, nullo alio honestamento eget, sed magnum sui decus est, & corpus suum consecrat; sic Adonis & Elisæ propria velut ornamenta fuêre, vt & similes Baptistæ parentibus, Diuinis per omnia mandatis parêrent

Theodoric. Abb. Trud.

& hæc Saræ, ille Abrahæ comparandus, si tertius adesset Isaac, præclaris actionum suarum vitæque exemplis, plurimos ad suscipienda, aut certè suspicienda Christianæ pietatis dogmata, credentium quidam parentes prouocarent. Hæc illustrius exemplis postea apparebunt, cum & Rumoldum illorum iussu studiosè perquisitum, omni humanitate in lares acceptum, curâ, studio, ope in fide propaganda adiutum, Filioque fidei rebus & litteris imbuendo præpositum mox dicemus; cum adhæc, prodigam eorum in egenos largitatem, in interitu filij, ad Deum per preces perfugium; demùm immolationē heredis vnici in alto illo virtutis perfectæ monte, Deo factam explicabimus, vbi gladio illo ancipiti, quemque Christus venit in terram mittere, vt à filijs parentes, ab his filij abscindantur,

omni

Digitized by Google

omni carnali affectione truncatâ Libertum sibi, posteritati, Mundo mortuum, Diuinis obsequijs consecrârunt. Hæc omnia ab auspicatissimis S. Rumoldi rebus gestis aggredior; qui Regiâ apud Scotos siue Hibernos prosapiâ editus, dignitate etiam Dublinensis Archi-Præsul, omnibus perfectionis studio spretis, & relictâ cathedrâ, Romam an. à Christo nato 752. vt fidei nostræ Principum limina coram veneretur, eamque hoc in itinere propaget, peregrè proficiscitur. Neque enim, ait Miræus, satis fuit vnquam Scotis, doctrinam Christianam apud Hebridum, Orcadum & insularum vicinarum incolas publicâsse, sed etiam apud exteras gentes pro virili parte dilatârunt: cuius rei testes sunt S. Mansuetus Tullensium in Lotharingia Episcopus, S. Rumoldus Mechlinienſium Patronus, S. Colmanus Martyr, S. Wasnulphus & alij innumerabiles: Ita ille, qui & alibi studium peregrinandi huic genti prorsus singulare ex Walafrido Strabone annotat, cuius sunt verba de natione Scotorum: *Quibus consuetudo peregrinandi iam penè in naturam conuersa est.* Ascribitque in Sparnacensi conuentu, can. 53. sancitum: vt Canonici in dormitorio dormiant, & in refectorio comedant. Hospitalia Scotorum (id est, Hibernorum)

In fast SS. Belg 1. Oct in S VVasnulpho.

In Chron. Belgic. ad annū 846.

Lib. 2. Vitæ S. Gall. ca. 46.

Digitized by Google

rum) quæ ſancti homines illius gentis conſtruxerunt, ab hoſpitalitatis officio non alienentur. Plurima denique per Germaniam, Italiam, Belgium; Scottorum, ab ipſis condita Monaſteria, labore improbo collegit idem diligentiſſimus Miræus in faſtis ad Cal. Oct. & in notitia Abbatiarum Chriſtiani orbis. Rumoldus tamen non tam naturâ duce, quam nuntij Cœleſtis ſibi conſpecti monitu, natali exceſſit ſolo; vt face Euangelij regiones exteras illuſtraret. Quod Apoſtolicum munus felicibus auſpicijs inituras, Romam vt pervênit, Pontificiam quam in Hibernia geſſerat, dignitatem, annulo tradito exutoq; pallio, in manus Stephani III. Eccleſiæ vniuerſæ Paſtoris ſummi reſignauit. Dumque loca, quæ Petri & Pauli martyrio Romæ ſunt celebria, aliaque inſigni pietate frequenter luſtrat; & tot fortiſſimorum pugilum trophæis, vt Milciadis olim Themiſtocles, ad parem per labores & egregia certamina parandam gloriam inflammatur: ab Angelo iterum admonetur, vt voti compos futurus, præco fidei & Martyrij donandus laureâ, in partes Galliæ, Oceani reciproci aquis redundantes Scaldique conterminas ſine mora contendat. Ille Diuinis iuſſis obtemperans Pontificem adit, ab eoque obtentâ ab-

Digitized by Google

abeundi licentiâ & Apostolatûs initiatus munere, itineri ignoto se committit; Deoq; duce, breui ad destinatũ agonis & brauij locũ Mechliniã peruênit. Tunc Ado, vt dictum est, Comitis nomine & Franciæ regum beneficio Malinatibus præerat: quibus licet, vti & ceteræ Belgicæ, iam olim Euangelium illuxisset; & ab ipsis Apostolorum temporibus finitimæ Tungrensis sedis initia arcessantur, à qua Fidei lumen longè latèque diffusum procliue est suspicari: tot tamen, tamque funestis Barbarorum incursionibus, ac præsertim nascente Francorum adhuc idololatrarum imperio penè defecerat, donec his Christiana sacra complexis & Clodouæo Rege vndis salutaribus abluto, lætior Ecclesiæ Gallicanæ facies instaurata est: Redditi enim operâ S. Remigij suis Diœcesibus Antistites, ad fidẽ postliminio reuocandam ac dilatandã toti incubuêre. Ex his Medardus & Eligius Nouiomenses & Tornacenses, Lambertus & Hubertus Tungrenses, pluresq; Cameracenses Episcopi, labore impigro maximoq; prouentu Aquilonarẽ hanc Belgicam coluêre. Sed Lambertus præcipuè Taxandriam vniuersam, quâ patet vsq; ad mare Frisium: Brabantiam verò & in ea Mechliniam, velut in transitu, aliaque loca, exiguo ad messem tantam concesso

Digitized by Google

tempore, neque septennio ampliùs peruagatus, cum vixdum perfidiæ tenebras vndequaque discussisset, impiorum ferro perimitur: hâcque extinctâ Pharo ad errores, quos ægrè dimiserant, redière multi; vt alijs Apostolis, qui fidem plenius restituerent, opus omninò fuerit. Id Antuerpiæ, ac circa Buscum-Ducis superstes Lamberto Willebrordus cum socijs præstitit, Mechliniana Spartâ Diuino nutu Rumoldo seruatâ, qui quinquaginta ampliùs annis Lambertum, in hoc Euangelij Malinatibus prædicandi munere subsecutus est. Hic igitur, vt vnde digressa est, reuertatur narratio; vbi post longinqui itineris labores, CHRISTO duce & auspice, Mechliniam attigit: in id conatus omnes intendit, vt quod acturus venerat, egregiè perficeret; plurimosque qui perfidiæ insaniâ ad æternam perniciem ruebant; monitis, precibus, & lacrijmis ad Deum fusis, virtutum quoque & actionum suarum exemplis, ad vnius verique Dei notitiam, & congruam Fidei, morum sanctitatem perduceret. Quæ quidem magnâ laude hominum & rumore celebrata, citò ad Adonem perferuntur; ille accersitum omni humanitatis officio vsus, domo accipit; fauore, ope, subsidijs omnibus prosequitur: stratâque hâc consuetudine viâ

viâ & impellente haud dubiè Numine, infœcundæ iamque grandæuæ vxoris vitium, atque ex hoc nobilissimæ familiæ miseriam occasumque exponere supplex aggreditur; si quid hâc in re precibus apud Deum posset, tam iustis heredem impetrandi desiderijs adesse ne renuat. Vota eorum non aspernatur ille quidem, sed monet, vt eleemosynis Diuinum sibi Numen concilient: vaticinio Isaiæ certum esse, si famelicis panem fregerint, egenosque & vagos tectis suis & hospitio acceperint; prosapiam ipsis generatione succedaneâ propagatum iri; quod & exemplis Elisei aliorumque firmâsse, ipsi perfacile fuit. Id dum studiosè largiterque faciunt, Rumoldus post preces, frequentatas fœcunditatis munus illis Cœlitùs impertitum Prophetiæ spiritu denuntiat, breuique filium formâ peruenustum, animi dotibus insignem & sanctitatis laude quandoque celebrem ipsis nasciturum, Libertumque appellandum prædicit. Nascitur puer præscripto à natura tempore, annoq; vt dixi. 4. supputo, septingentesimo quinquagesimo quarto, & de more Christiano, tinctus Baptismate ab ipso Rumoldo Liberti nomen consequitur; quod vniuersæ gentis, quæ rectorum sequax esse solet, à perfidia liberatæ, & Cacodæmonis turpi seruitio

Isaiæ 58.

4. Reg. 4.

manu

manu-missæ quasi conditionē signaturū esset. Iāq; in parentum oculis dulce illud Mechliniæ delicium egregiè adolescebat [1], cui etiam statim, cum per ætatem licuit, institutio Rumoldi, à prædicationis munere sæpe huc diuertentis acceſſerat; aliàs, quippe in rusticorum casis, vel extra hominū frequentiam in siluis, Angelico magis quam humano genere viuendi noctes exigebat. Verùm magnum illud tam parentum, quàm prædotribæ, de egregijs pueri moribus & spe futuræ sanctitatis gaudiū, immensō repentè luctu commutatur. Cum enim quodam tempore cū æqualibus, in ripâ patrij fluminis ludum exercet, & propiùs marginem discurrens pedem incautè figit, in fluuium præceps

Primo miser excidit æuo,
Et noua longinquis piscibus esca natat.

Prop. lib. 5.

Ad huius nuntij famam lamentis & lacrijmis completur littus; ac vrinatorum, qui aquis sese altè immergebant, industria primùm, sed frustrà laborauit. Humanâ igitur ope destituti, ad diuina per Rumoldi preces subsidia, perfugium habent: verùm is, quæ noua infelicitas! aberat gemmarum Cœlestium, dico animarum pretiosus & insatiabilis emptor, nec nisi tertio post die, cum diū multūque

que quæsitus fuisset, tristissimi nuntij certior effectus est. Grauiter hic cum rumor perculit, ac præsertim amicis hospitibus, heredis & vnici filij iacturam ægerrimè ferentibus condolet; bene tamen eos sperare iubens, præcurrentes nuntios æquis pene gressibus allectatur, rectoque itinere ad funestum littus contendit. Eò iam innumerabilis hominum multitudo, suisque ipsa laribus effusa Mechlinia confluxerat. Aderant & mersi pueri parentes, proceresque alij luctu & lacrijmis deformati. cũ Thaumaturgus illius æui Rumoldus, in densa astantium corona, genibus humi, oculis in cælum defixis preces ad Deum fundit, voceque lugubri subinde IESVM inclamans, nominis huius & Numinis opem implorat. Nec postulatis aut spe suâ nouus Eliseus frustratur, imò quod ille vetustior prodigijs pluribus patrauit, vt & ipse per Iordanis alueum siccis pedibus, neq; veste madidâ permearet, ferrum adhæc 4 Reg. cap. 2. 4. & 6. super aquas fluidas nataret; & mater vatis hospita rediuiuam sobolem à morte reciperet: Hæc omnia velut compendio complexus est prophetici vir spiritûs Rumoldus. Nam subitò dum precibus incumbit; dictu mirum, portentumque, cui nec prior ætas simile, nec posterior maius aliquando inaudijt!

Libertus à morte ſuſcitatus, caput extulit aquis, & contrario flumine, per ſolidatas Diuinâ virtute fluuij labentis vndas, ad littus ſe promouens; corpore toto ac veſtibus ita ſiccis, quaſi non aquâ merſus, ſed ne leuiter quidem tinctus fuiſſet, in ripa conſtitit; & parentibus incredibili lætitiâ perfuſis reſtitutus eſt. Locus autem tam inſolenti miraculo nobilis, & æternâ poſterorum memoriâ cultuque dignus, nobis, quà Tylia vrbis muros, turrimq; de Winket dictam alluit, non leuibus de cauſis ſtatuitur. Nam cum in proximo Adonis olim fuerit Regia, hodieque vico & vrbanæ portæ vix ſagittæ iactu diſtantibus, nomen Adonis perſeuerans hæreat: fuit eodem inſuper cognomento nuper ſuburbanum pulcherrimis plateatim ædificijs à porta propagatum, in cuius aditu, vixque tribus paſſibus à ponte vrbis penſili, templum minori formâ viſebatur, & Adonis æuo, pueri ſuſcitati memoriæ poſitum: de quibus diſſert. 3. & 5.

In Vita S. Rumoldi cap 3.

Interea verò, vt narrat Theodoricus, cum verſis in lætitiæ voces gemitibus, omnes virum Dei præcipuo honore; pueri progenitores etiam actis gratijs oblatiſque maximis muneribus, in quibus Libertus ipſe facilè primas obtinebat, proſequerentur: ille qui alias ſceptrorū & opum regiarum prodigus fuerat,

tum

tum ne exemplo Giezi, verus ipse Eliſæus Dei dona 4. Reg. 5.
mercari videretur: ſuſceptâ Liberti curâ porrò minimè adduci potuit, vt vim aliquam auri vel argenti ſuſciperet: Verùm, inquit, ſi aduenæ veſtro gratum munus donare cupitis; eſt locus è regione paluſtris, vlmis luxurians, vaſtus ſpiniſq́ue obſitus, hunc non meos in vſus, ſed vt perpetuo Dei ſeruitio dedicem, mihi concedi poſtulo. Annuit Comes delectatus & beneficij poſtulati genere, & quod ſuis non procul ſedibus domicilium ſibi delegiſſet; ac donationem ſcripto tabuliſq́; firmauit. Hîc verò obiter monendus es Lector, Maſſinas veteres, id eſt, Rumoldi temporibus nequaquã vtrumq́; Diliæ latus ſitu occupâſſe: ſed quidquid fuit ſiue oppidi, ſiue pagi, in læua fluminis conſtitit, populo latè eam ripam inſulatim colente. Cis flumen, vbi nunc præcipua vrbis decora, ſedes Archi-Præſulis, Themidis Nationalis atq́ue vrbanæ Aſtrææ tribunalia; mera tunc ſolitudo fuit, Vlmetũ ab hac conſitâ frequenti arbore, nuncupata. Quo etiam nunc nomine vel pueris trimis notum eſt, quicquid prati ad primum ferè lapidem in eadem ripa Tiliæ, ab vrbis muris protenditur. Sed rerum noſtratium periti, magno inſuper vnanimiq́ue conſenſu tradunt id nominis, præter prædia, qui-

quibus illud hodieque hæret, nouæ seu Cisdilianæ Mechliniæ significanda pomœria latè fuisse complexũ. Primus igitur regionis huius habitandæ dux & auspex Rumoldus fuit, qui tantũ loci, quantũ Cœnobio condendo sat esset, Adonis beneficio nactus; domicilium & ædiculam Protomartyri Stephano excitauit, ibique remotam à seculi strepitu & eremiticam, vt Baldericus vocat, vitam pènè solus aggressus est. Inde hinc collectis breui viris aliquot pietate insignibus, communem illam Clericorum simul in cœtu viuendi rationem, quæ per id temporis, præcipuâ virtutis & sanctimoniæ laude florebat, neque vllo spatio ab Ascetarum religiosis exercitijs aberat; eodem in loco gregis sacri moderator instituit. De his ita testis Baldericus Chronologus, & Episcopus Tornacens. *Apud Maslinas Monasterium est Canonicorum, vbi quiescit pretiosus Dei Martyr Rumoldus, genere Scotus, qui vitam eremiticam ducens, inibi Martyr fatus est. Hoc autem Monasterium ab antiquitate constructum, regalibus emolumentis maximè augmentatur.* Ita ille, qui ante sexcentos annos Cameracensis Ecclesiæ Chronicon texuit. Cuius si verborum momenta libres, probata quæ diximus, non aliena inuenies. Si enim apud Maslinas illud

In Chron. Camer lib 2. cap. 47.

Mon-

Monaſterium; ſi vbi Martyrio occubuit, eremiticam duxit Rumoldus vitam, igitur neque vrbs hîc fuit, neque hominum frequentia; à quorum cœtu ſecludi debuit, non modò vt eremicolæ, ſed vel monachi nomen mereretur. Hos enim nuncupatos volunt, præcipuè quidem, vt D. Dionyſ. auctor eſt, quod affectu animi à creatarũ rerũ ſocietate diuulſo, in ſimplicem & vniuſmodi vitam, in habitũ mentis vni Deo adhærentem colligerentur. Tum verò, vt faciliùs id aſſequerentur, in locis ab hominum conſortio remotis degerent, eſſetque corporea ſolitudo, Monachorũ vitæ ac nomini quaſi complementum, adiuncta. Non eo tamen inficias, cum hi longo poſtea interuallo, in vrbes aut ad vrbium mœnia, vnde priùs receſſerant, poſtliminio remigrâruut; & humani conuictûs atq; commercij facti paulò magis participes: Monachorum ac Monaſteriorum æquè perſeuerans ijs adhæſiſſe nomen; á quibus etiam iſtud poſterius Catachreſtixῶς; ad Clericorum cœtus, qui ad humanam prorſus ſocietatem facti, atque ad animarum ſolicitudinem & auxilium, miniſteriaque Eccleſiaſtica ab initio & propriè inſtituti, tranſiſſe vides; cùm Clericorum cœnobium Mechlinienſe, à Balderico Canonicorum Monaſterium nun-

Eccl. Hiſtor. cap. 6.

cupatur; siue quòd eorum domicilia perinde septa munitionibus, dormitoria, triclinia, officinasque communes haberent; siue, quòd iuxta sui statûs perfectionem, ijsdem virtutum studijs subsidijsque vti, Ascetis prorsus sanctitate comparandi essent; illis sola solitudo seu vita singularis accederet. Ita celebris Monachus B. Petrus Damiani ad Clericos Fauens. ep. 9. *Quo pacto quis valeat dici Canonicus, nisi sit regularis? quomodo Monachus, nisi iuxta vim sui nominis, sit etiam singularis?* Itaque mos ille priscus Rumoldique tempore celebratissimus habuit, vt Canonici seu Clerici (hæ enim voces idem apud veteres plerumque sonant) locis Ecclesiæ vicinis, quæ Monasteria Canonicorum dicebantur, (deinceps verò claustra dicti cœperunt, idque etiamnum nomen multis locis in vulgo remanet,) vitam ex constitutionum sacrarum amussi exigerent, Episcopo atque Præposito seu moderatori Vicario obtemperantes. Verùm quod Apellæam huiusce communis Clericorum vitæ effigiem lineamentis omnibus & natiuis Patrũ colonibus dissertatio 7. depingit; illam ibi specta, mirare & tuo amore complectere; quam à sanctissimis viris olim vsurpatam, huc etiam cum pietate ac fide, Rumoldi auspicijs importatam intelligis

intelligis. Sed ad institutum propiùs redeo. Crediderim ego, post architectum Rumoldum, inter primos spiritalis huius ædificij municipes, D. Himelinum Presbyterũ æquè Scotum accensendum; quem plerique tradunt Rumoldi carne propinquum, Fenaci non procul Thenis, lue pestilenti obijsse; ac propter ingentia, quibus Deus suum seruum illustrauit, signa; non tantùm loco nomen ipsius inditum, sed etiam à longè dissitis frequentes ad eius memoriam, pietatis ergo, concursus fieri. Certior verò & celebrior nouæ Mechliniæ Ciuis Libertus noster, à cuius etiam Patre Adone Comite, primum illud & antiquum Monasterium, de quo Baldericus, structum fuisse Miræus iure arbitratur. Libertus etenim, vt ait Theodoricus, in ipsis puerilibus annis, vbi se viro Dei Rumoldo tot nominibus devinctũ meminit, & iam huius longâ consuetudine cœlestiq; prorsùs disciplinâ, ab aula, sæculique fastu abhorrere didicit: ad illud celebre sanctioris vitæ institutum sub illius magisterio complectendum, animum adiecit: à quo proinde de Parentum consensu tonsus, & in Clericorum numerum cooptatus, in eò certamine tam egregium & invictũ se pugilem præbuit, vt Rumoldo superstite, vicarius gregi vniuerso moder-

Gillem. in Hagiologo Brab. Mol. in nata. ad 10 Mart. Miræus in fastis SS.

Sinte Himelyns Visse-naken.

Infastis SS. Cal. Iun.

Digitized by Google

moderator præfici mereretur, proprij pòst cruoris laureâ coronandus. De hoc Præpositi nomine & officio, quo Libertus adhuc adolescens cohonestatus est, vt breuiter nôris, scripsêre Patres regulæ Cap. 139 Canonicorũ in Concilio Aquisg. architecti: *Quamvis omnes qui præsint, Præpositi ritè dicantur: vsus tamen obtinuit, eos vocare Præpositos, qui quandam Prioratus curam sub alijs Prælatis gerunt.* Tunc enim Episcopi secũdum Canones & Canonicæ vitæ præscripta, cum Clero, eodem in domicilio degentes, communi mensâ atq; exercitijs ijsdem vtebantur. Verùm quod ob Episcopalis officij negotia, ab Ecclesia Cathedrali & Clero suo frequenter abesse cogerentur, vices eorum obibant, qui Præpositi dicebantur. Hincq; profecta semel invaluit consuetudo, vt etiam vbi nullus Præsul vel Cathedralis sedes, sed Canonicorum esset Collegium; is qui præerat, eodem Præpositi nomine insigniretur. De necessitate deniq; quâ Episcopis cum Ecclesiæ suæ Clero viuendum esset; extant inter innumera documenta, Canones Concilior. Ticinensis & Pontigonensis, quibus ante annos ferè 800. statutum est, vt Episcopi in Ciuitatibus suis proximum Ecclesiæ suæ clausstrum instituant, in quo ipsi cum Clero

Celebrata anno 876. sub Carolo Caluo.

secun-

Digitized by Google

ſecundum Canonicam regulam Deo militent, & Sacerdotes ſuos ad hoc cõſtringant, vt Eccleſias ſuas non derelinquant & aliubi habitare præſumant &c. Hæc autem Præpoſituræ munia Libertus iuuenis admodùm, neque ampliùs viginti annos natus ſuſcipere iuſſus eſt; tantos exiguo illo tempore, quo vitæ ſpiritalis tirocinium poſuit, mens illa purior progreſſus fecerat; verumque in eo paruit, quod D. Nazianzenus in Apologet. *Facilius eſt, rudi adhuc animæ, ac inſtar ceræ nondum ſignatæ veritates imprimere; quàm conſcriptis iam quaſi litteris, hoc eſt, peſtiferis opinionibus ſuperducere, quæ vera ſunt.* Authoritatem adhæc & reuerentiam ei pariebant non generis tantùm ſpreta nobilitas, & patrimonij cenſus, & titulorũ tam numeroſa quàm inſignis dignitas; ſed præcipuè tot in eo diuinæ virtutis peracta prodigia, ſapientia quoque ſupra ætatem, virtuſque tanta, vt cum ſui luminis indicio foris prodita, corporeis omnium cerneretur oculis; mirabili ratione & felici faſcino amor erga eum timorque ingenuus quoſque perſtringeret. Habet enim, ait Tullius, veneratio- 1. *De Nat. Deorum.*
nem iuſtam, quidquid excellit. Onus autem illud regendi, Angelicis metuendum humeris; quodque *Epiſt. 203. & 135. lib. 50 hom. hom. 26. &c.*
meritò ſæpe ſeruitutem, ſæpe ſarcinam, ſæpe pon-

Digitized by Google

dus vocat Augustinus, cum diuisum ac vicarium antè gessisset, & præstantiæ eius ac propriæ tenuitatis conscius deponere, quod impositũ erat, peroptasset: totum eodem penè tempore in se recipere cogitur, quando Rumoldus duorum insidijs fabrorum appetitus ac graui vulnere oppressus, promissum sibi diuinitus Martyrium quasi laborum coronidem an. 775. consecutus est, postquam ipse viginti amplius annos Mechlinianæ suæ Spartæ operam cultor indefessus atque assiduus impendisset. Caussa necis inferendæ in Sicariorum altero, auri sacra fames; alterum, quòd de adulterio reprehensus esset, ad facinus stimulabat. Qui celandi spe sceleris, exanime corpus in æstuarium fluminis proximum demisêre: verùm cælitus luce superfusâ citò proditum, moxque receptum, Libertus & Ado Comes in ædicula Martyris studio, ipsi Protomartyri Stephano extructa, quo par erat, funeris honore condidêre. Ecclesiola autem illa sic primitus inscripta, nunc ipsius Diui nomen accepit, & quasi filia Sion (sic appendices Scripturæ phrasi nuncupantur) cum Metropolitana Basilica, nomine & patrocinio Rumoldi felix gloriatur. Prisca autem illa, quæ Normannorum faces merito conditoris semel effugerat, nu-

pe

nuper sacrilegis hæreticorũ manibus euersa, (tanto rabies istorum maior!) nunc in minorem, sed elegantem formam restituta visitur: in eâque à meliori manu res Rumoldi gestæ & miracula edita, artificio singulari delineata spectantur. Sacri corporis ossa in æde Metropolitana conseruat Theca recens argentea, nuperæ illius ab Iconoclastis confractæ æmula, cui parem in his aut vicinis regionibus non reperisses, (ista sunt Molani) & cuius pretium, exceptis gemmis vnionibusque excessisse constat sexaginta sex florenorum millia. Præter quæ Margarita Gubernatrix Belgicæ, tantum opum nouissimè addiderat; vt cùm ab hostibus fidei profanaretur, omnem æstimationem penè superâret. Sed ad Libertum redeo, qui ætate iuuenis, sed morum senectâ præditus cùm sui regiminis initia sic probasset; vt vnus ceterorum præclaris dotibus dignissimus, in integrum administrationis onus siue Præpositi, siue Abbatis nomine Rumoldo succederet; summâ consensione non tam delectus, quã prorogatus siue confirmatus fuit. Enimuerò per id tempus, ne nescias, & Canonici Abbates habuêre, quorũ licèt dignitatem, posteriores cum titulo & dignitate Præpositi confuderint, neque tunc mitræ, baculi, diuersiue habitûs

In natal. t. Iulij.

insignibus vsi ferantur ; nomine tamen, loco & summâ potestate Præpositis anteibant ; atque vbi Ecclesia Cathedralis non esset, Episcopalem quandam in Clerum, vti in Ascetas Abbas Monasticus, authoritatem obtinebant. Talem quippe Notgerus Leodiorum Antistes, nouæque seu Cisdilianę Mechliniæ & duodecim in ea præbendarum magnificus simul & munificus Fundator, iam ante annũ millesimum Mechliniæ suæ Abbatẽ dedit vel certè reddidit, cùm per Normannos omnia vastantes cœnobium hîc arsisset, neque instaurari priùs, fas aut tutũ fuisset satis, quod Barbarorũ ignes suo nondum cinere sopitos, idẽ vidisse se scribat Notgerus in vita S. Remacli. Hic tamen nobilior Abbatis titulus, & quanta quanta fuit potestas, in Præpositi nomen ac dignitatem pridem concesserat, credo quando ceterorum exemplo, Canonici vitæ illius communis desertores hîc facti: Rursùm Præpositi nomen extinctum est, quando annui illius reditus ad Archipræsulis statuendam Cathedrã authoritate Pauli IV. summi Pontificis an. 1559. translati fuêre. Postquàm autem præsidendi munus, inclinâtis Numini diuino humeris Libertus susceperit; cura illi prima & cogitatio fuit, vt quæ à sanctissimo Præsule stabilita fides

fides, tum quæ accuratè & præclaris prorsùs legibus Clauſtri fundata fuiſſet diſciplina, nullâ ſui parte conuulſa nutaret; quiſque verò ſuorum Deo militans, ac negotijs ſolutus ſecularibus, ei, cui ſe probaſſet, placere niteretur: ipſe deniq́ue forma factus gregis, ad omnem ſanctimoniam non tam monitis, quàm exemplis præiret. Atq́; ita quidem, vt ſi abſoluti numeris omnibus Præpoſiti formã delinees atq́; proponas, quod diſſert 8. præſtare conor; natiuis coloribus omnem penè Liberti vitam ex illo expreſſeris tempore, quo in partem ſolicitudinis à Rumoldo Pontifice aduocatus fuit. Ideòq́ue Presbyteratûs etiam ordine, aris operatum fuiſſe Libertum, apud me haudquaquam dubium eſt. Erant enim per id ætatis Præpoſiti non tantùm vniuerſi Cleri Duces, ſed & paſtores animarum curam gerentes; neq́ue adhuc Decanorũ nomen, in quos hoc oneris poſteà tranſmiſſum eſt, cum poteſtate ac dignitate tantâ orbi innotuerat. Iſta copioſè & luce quaſi meridianâ, facis caput 8. demonſtrat. Ita vt iure te admiratio poſſit inceſſere, cur Clericum, Præpoſitum atq́ue Presbyterum militari paſſim ſpecie Malinates in aris exhibeant? Vt breuiter tibi reſpondeã; omiſſis allegoricis, quæq́; ad mores formandos ſpectant, hæc ratio

hiſtorica placet: quòd antiquis in vſu fuerit, inſignes genere vel Magiſtratibus geſtis Diuos, licèt aliquando ſpretis illecebris ſæculi, Clericum vel Monachum induiſſent; priori tamen illo habitu, inque trabea, paludamento, equeſtri ſago alijſque exutæ dignitatis inſignibus honorandos ſiue imitandos proponere: quod exemplis SS. Bauonis, Mauronti, Vincentij aliorumque poſteà firmamus. Ceterùm quæ quantaue facinora ſpeciatim geſſerit Libertus, cœptæ tunc primùm illius tempore, totieſq; repetitæ Barbarorum vaſtitates nobis inuiderunt. Vix enim perſecutione illâ teterrimâ ac maximè diuturnâ Danorũ ſæuiente, res eius æternâ memoriâ dignæ, ab eiuſdẽ æui ſcriptoribus in fuga continuiſq; latebris, ad Poſteros tranſmitti potuêre: aut ſi certè aliquis ſcriptis illas prodiderat, Barbarorũ faces omnia peruadentes abſumenteſq; nequaquã euaſerũt. His enim ſimilia ſæpe Molanus, vt cùm de S. Waſnulpho Condati in Hannonia quieſcente ſcribens inculcat deplangitq;: Neq; mirũ eſt, inquit, hiſtoriã eius interciduſſe, cũ conſtet ſæuiſſimos Nordmãnos in deuaſtatione Hannonũ, Condati hibernaſſe; per quorum Barbariem complures hiſtoriæ perierunt. At verò parium querelarum nenijs hîc locus; quòd ijdem Nortmanni occupatum

In natal. 8. Octob.

occupatum ſemel Louanium, vrbem vicinam ac pari ferè ſpatio à Mechlinia ac Trudonopoli diſtantem, non hiemẽ vnam, ſed totas decem, (vt eiuſdem vrbis archiua fidem faciunt) quandam velut Caci ſpeluncam effecerint; ex qua perpetuis latronicijs graſſationibuſque vtrumque Regnum Franciæ ac Lotharingiæ fatigârunt. Quod itaque D. Gregorius dixit aliquando: *Magnæ electorum virtutes, quaſi theſauri Dei ferè ſemper in occulto ſunt*; iure ad res pulcherrimas Liberti ſub opaca obliuionis caligine deliteſcentes transferam, cuius vt mors, ſic vita in conſpectu Domini pretioſa fuit. Talis quippe eſt omnium Sanctorum vita interior; neque verò opera illa rara externaque, quæ præcipuis laudibus ornari ſolent, aliud ſunt quàm virtutis abditæ quidam effectus & velut ſolis radij, quibus ſic illi proximis præbere cupiunt exempla benè agendi, *vt tamen per intentionem, quâ ſoli Deo placere quærunt, ſemper exoptent ſecretũ.* Pauciſſima tantùm quædã, at magni illa momenti, de religioſis exercitijs Rumoldi Theodoricus prodidit, quæ ad Libertum tanti patris ac magiſtri maximè æmulũ perinde pertinere, minimè dubiũ eſt: ita nimirũ omne ſibi tempus in cõtemplatricis atq; actiuæ vitæ ſtudia partitum fuiſſe, vt nulla hora

In 1. Reg. 16.

S. Gregor. hom 11. in Euangel.

Cap. 8.

horâ efflueret, quin aut prece labium, aut labore manus occuparetur. Quo quidem vitæ genere quid præstantius sanctiusue? præsertim quòd cõtemplationis eorum fructus foras deriuatus, ad errores fugandos fidemq; in Gentibus propagandam redundaret. A quo munere ac oratione cùm rursùs recederent, otij hostes, quo nulla virtuti pestis capitalior est, hortis colendis spargendisque seminibus curam impendebant, memores siue illius Salomonis; *Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo*: Eccles. 7. siue illius Apostolici moniti: *Rogamus autem vos fratres, vt quieti sitis & operemini manibus vestris*. 1. Thess. 4. Et quòetiam hortati videntur Patres Concilij Aquisgr. cum in regula scripsêre: *Habeant itaq; ijdem Canonici hortos olerum, vnde cum ceteris additamentis aliquod pulmentum quotidie in Refectorio sibi vicissim ministrent*. Cap. 122. Per hæc autem tempora, (ad vltimũ enim Liberti vitæ actum festino) quibus Præpositus magnâ sanctitatis laude Clerum moderatus fuit; Frisij & Saxones à fide Christiana, quam armis Francorum domiti susceperant, resilire; & excusso iugo quod victorum ceruicibus impositum fuerat, in pristinam sese libertatem vendicare conantur. Præerat Frisijs Radbodus II. qui in Dania apud

apud Othildam amitam educatus, ethnicas superstitiones penitùs imbiberat. Saxonibus Windekindus Dux, Christianæ Religionis æquè hostis infensissimus imperabat. Igitur Carolus Magn. Religionis Orthodoxæ & Francici Imperij tuendi studio, illos bello adoritur; & Radbodus bis pugnâ victus, regno expulsus & in Daniâ an. 775. fugatus est: vnde tamen breui reuersus, ad fidem cũ Amarra coniuge regis Hunnorum filiâ, à S. Adalberto est conversus, & Egmondæ an. 792. piè vitam finiuit. Ita Hamconius in sua Frisia. Victus etiam pari belli euentu Windekindus, sibique à Carolo malè metuens an. 777. vt Rhegino tradit, in Nortmaniam profugus abijt; atque inde anno sequenti copias auxiliares trahens, dum Carolus Saracenis in Hispania subigendis distinetur, bellum graue instaurat. Sed iterùm superati Saxones, & Windekindus Dux eorum captus, vt quidam: vt alij, potestati Caroli vltrò se supplexque permisit, atque ab eo ex fonte lustrico susceptus, Ludouici nomen, & dignitatis pristinæ ornamenta consecutus, Dux Angariæ renunciatur. Interea Danos & Nortmãnos nõ solùm Radbodi apud Othildam in Dania educati, atq; amici Ducis Witekindi prior eiectio, odiumq; Christianæ Religionis

In Radbodo II.

Digitized by Google

mirum in modum accendebant: sed etiam imminens eorum ceruicibus Carolus ad arma capienda excitabat. Primos horum impetus excêpere Saxones & Frisij, quorum illi non tam Aboriginum reliquiæ, quam noua Coloniæ Francicæ Christianæque propago ferebantur: hos, Radbodo rege subiugato & Frisiâ in prouinciam redactâ, per Præfectos duos orbis arbiter Carolus gubernabat. Præluſit itaq; non leuibus damnis Enyo Danica, & ferale bellum tot prædis, & funeribus hominum, tot vrbium ac regionum populationibus vix post annos centũ finiendum imbuit. Et quidẽ annales Frisiæ docent iam ab anno 779. Frisones à Normannis omni calamitatis genere diuexatos fuisse. Illi tunc temporis non ijs angustis, quibus hodie, clausi limitibus, ad Oceanum Cimbricũ longè latèq; dominantes à Iuthia vsq; in Flandriã, omnem littoralẽ tractũ possediſſe, & patriæ nomine Hollandiã & Zelandiã sub iugum missas appellâsse plerisque referuntur. Quo verò tempore & anno in Gallias, adeòq; hanc Belgicam limite Antvverpiensi irrupto primùm penetrârint, obscurum est. Certum, quod post annum 830. efferatissima prædonum illorum colluuies Belgium vniuersum inundauit. Nam annales à Pithœo editi

Anna. Frisi & Hamcon de reb. Frisi. in Carolo. Magno.

lib. 2. c. 3.

Vide Hamconium.

Digitized by Google

editi, atque ex his Miræus tradunt anno 835. Antverpiã iniectis facibus absumptam, & vicina quæque Barbaricâ incursione, cædibus, incendijs, rapinis violata. Eadem Sigebertus & eum secutus Molanus, sed biennio serius contigisse memorant. Verùm cum neminem, nisi in historijs peregrinum fugiat, primis temporibus, biennij & amplius metachronismo peccare Sigebertum, bellè cum prioribus quoad anni tesseram conuenire dicendus est. Odium autem fidei, quo flagrâsse Danos superiùs dixi, quodque affuso velut oleo incrementum inde sumpserat, quòd Haraldus Danorũ Rex Moguntiæ baptizatus, regno illam inferre tentauisset; sed à Godefridi regis filijs ethnicis adhuc superstitionibus deditis anno 826. fugatus abscesserat: hoc, inquam, infensissimũ gentis in nostram Religionem odium effecit, vt cum in cetera pietatis signa, aras, templa, SS. corporum pignora, tum potissimùm in initiatos viros ac feminas eorum furor desæuierit. Testis de his ex Sigeberto Molanus: *In eo luctuosissimo statu Clerus & Monachi cum Sanctimonialibus, exustis ac depopulatis suis monasterijs, vbi poterant, opportunius latebant.* Hæcque causa extitit, cur Libertus vitandæ procellæ studio, in Hasbania ma-

In Chron. Belg.

In Chron. In Recapit. cap. 23.

Locis superiùs citatis.

materni generis peculio portum exoptârit. Ita idem Molanus in Liberto: Dani & Nordmanni, Liberti tempestate vastabant Gallias, & in eis Lotharingiam siue Lothariense regnum, cuius portio erat nostra Brabantia. Imò Rhegino Prumiensis Abbas, eiusdem ferè temporis Chronographus scribit, anno 884. Nordmannos in regno Lotharij castra & sedes statuisse in loco, qui dicitur *Louen*, regnumque continuis incursionibus fatigâsse, indeque Parisios recessisse an. 87. Euersa est ab ijs Mechlinia quatuor milliaribus distans à Louanio, & Libertus profugus in Hasbaniam, ab ijsdem ob Christũ occisus est ante altare S. Trudonis, vbi flexis genibus Dominum deprecabatur. Minimè tamen ex his verborum coloribus, alijsq; quibusdam monumentis & scriptis arbitrari fas est, Libertum post an. 880. victimam Deo per Martyrium cecidisse, quem sub 755. in lucem editum fuisse constat: sed, vt sæpe accidit, pleraque Danorum compendio Molanus complexus, quæ temporibus maximè distincta fuerant, confudit, & in vnum locum congessisse voluit. Simillimè enim in Recapitul. loquitur cap. 23. Nordmanni fermè per centum annos hæc loca vastârunt ferro & igni, atque anno potissimùm 880. &c. Subditque:

In natal. 14 Iulij.

per

Digitized by Google

Per eosdem nonnulli etiam Martyrio sunt coronati; In Brabantia Fredegerus Presbyter & Canonicus ex eo Monasterio, quod S. Gummarus suis opibus fundârat, Liræ crudeliter in altari sacrificans peremptus est. In Hasbania S. Libertus, qui euersâ Mechliniâ ad S. Trudonis Monasterium confugerat, vbi ante altare cum socio est occisus. Certè ne Liberti eædem à primis ferè piratarum Danorum incursibus, maximèque post celebrem illam, quâ arsit Marchia sub an. 835. grassationem producámus; alia si desint testimonia, ætas grandæua Liberti admonet, imò cogit; quem tunc temporis labentẽ octogesimũ annũ percurrisse constat. Purpureã eius adoreã triumphumque Gosuinus, alijs Gosbertus, vt Martyrij consors, ita vitæ ac instituti, vt veri affine est, socius adauxit. Et miraculis quidem claram ostendit Deus necati Liberti sanctitatem, ait Gramaius: fortè, quod diebus multis clarissimo lumine corpus collustratum feratur. Denique dies illi fatalis à quibusdam statuitur, quo festum ipsi apud Trudonenses etiam populo solemne quotannis instauratur, ex Vsuardi Martyrologio, Molano, Miræo alijsque, 14. Iulij: Mechliniæ verò 16. (credo ob præpeditos officijs duplicibus præcedentes dies.) præcipuâ quidem celebritate

L. 2 Mech. sect. 2.

Molan. in natal. 14. Iulij.

celebritate & cum perpetuo Plenariæ Indulgentiæ participando fructu; sed non vulgus ab opere seruili
In Martij. rol. cessat. Vsuardus tamen auctior dicto diei, Sacri Cor-
In nat. al. 14. Iulij. num 3. poris Inventionē ascribit: Molanus prætereà ex antiquis, vt pronū est credere, monumentis Passionē adijcit his verbis: *Eodem die* (14. Iulij) *in Hasbania Passio & Inuentio S. Liberti Martyris vitâ & meritis glorioſi.* Quibus post libatam obiter vitæ historiam adnectit: Corpus terræ infixum fuit in vrna lapidea, quæ etiam conspicitur. Sed post annū millesimum sub Wirico Abbate inuentū, in loculum translatum, & in altari S. Trudonis cum corpore alterius cum eo trucidati asseruatur. Exactiùs Inuentionis annū, millesimum centesimum sexagesimū nonum memorię Trudonenses annotant: ex quibus post Molanum paria descripsêre Miræus in Fastis SS. Belgij, & Raissius in Hierogazophylacio. Ita quidem, quod de Protomartyre Stephano D. Augustinus: *Latuit tanto tempore Corpus B. Martyris, proceſſit quando*
Serm 91 ex nouiſſ. *Deus voluit, illuminauit terras, tanta miracula fecit &c.* Addit Miræus, locum, in quo orans Li-
In Faſt. SS bertus, à Barbaris ob CHRISTI fidem immaniter obtruncatus est, etiam nunc religionis caussâ tapeto tectum, & cancellatis repagulis ferreis obseptum videri

videri. Anno denique reparatæ salutis 1631. Illustrissimus ac Reuerendiss. Dominus IACOBVS BOONEN Mechlinienſ. Archi-Præsul, dum pro Episcopali munere, suæ Diœcesis parœcias haud ita procul Trudonopoli lustrat, ab Abbate huiusce loci Reu. adm. HVBERTO GERMEYS aliquam Lipsanorum B. LIBERTI portionem, quibus natale Martyris solũ & Metropolitanam suam Basilicam ditaret, magni muneris loco expetijt, insignemque capitis siue cranij partem consecutus est. Quæ Reliquiæ posteà, die vltimâ Augusti eiusdem anni, Illustrissimi Antistitis auspicijs, solenni admodum pompâ incredibilique totius Mechliniæ lætitiâ allatæ; & in equestri, vti pingi solitum diximus, vmbilico tenus effigie, auro argentoq; pretiosissima compositæ; in ædem Metropolitanam D. Rumoldi importatæ fuerunt. Dum verò, Mulinates, Principis & Martyris vestri glebam aliunde recepistis; cura nobis fuit, vt in rebus eius sincerè & historicè elucidatis accuratiùs depictum ac quodam modo rediuiuum haberetis. Hîc itaque suis expressum coloribus spectate, & haurite animis, in quibus eius cultus altiùs deinceps, quàm hactenus, insideat: etenim

Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille Deos; qui colit, ille facit. Et

Martial l. 8 epig. 24.

Digitized by Google

Et hic certè ſcriptionis noſtræ finis præcipuus; alter aliquis vel memoriæ renouandæ, vel imitationis prouocandæ extitit. Quippe de hiſtoria veriſſimũ eſt, quod de pictura Maximus vſurpauit: *Hærent ac ſtupent oculi hominum, cum alicuius memorabilis facti pictã imaginem vident; caſuſq; antiqui conditionem, præſentis ſpectaculi admiratione renouant.* Ad mouendum verò, vt tritum habet adagium, exemplis nihil efficacius: vnde etiam primùm hiſtoriarum & iconum vſus profectus videtur, vt præſtantium virorum velut ad exemplar, ſequentium ætatum homines ſua facinora, ſeque ipſi exigerent. Et ad inſtitutũ quidẽ D. Chryſoſtomus: Nemo eſt qui neſciat Martyrũ glorias ad hoc diuino conſilio à Dei populis frequentari, vt & illis debitus honor dicetur, & nobis virtutis exempla monſtrentur: vt dum hæc ita celebrari perſpicimus, poſſimus etiam ipſi talibus prouocari exemplis, virtute pari, deuotione cõſimili ac fide: vt CHRISTO præſtante, dimicare & vincere hoſtem poſſimus, & partâ victoriâ, cum ijſdem Sanctis in regnis cœleſtibus triumphemus. Quorum ego ſi finem aliquem, tu quoq; quiſquis es, fructũ aſſequêris: paruæ me operæpretium permagnum tuliſſe arbitrabor.

Val. Max. Lib. 5 cap. 4

ſerm 1. de Martyrib.

VITA

VITA ET MARTYRIVM
S. LIBERTI
MECHLINIENSIVM COMITVM
ADONIS ET ELISÆ
FILII,
Varijs Poëmatis aucta & illuſtrata

Per Studioſos Scholæ Publ. Mech. Patrum
Oratorij D. N. IESV CHRISTI

Profeſſore P. Ioanne Ant. à Gurnez eiuſdem
Congreg. Oratorij Presbytero.

MECHLINIÆ
E Typographeo HENRICI IAYE. Anno 1638.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN VITAM ET MARTYRIVM S. LIBERTI

PROEMIVM.

Ræbuit in circis quondam miranda Pelasgis
Saxo Praxiteles, æreque signa Myron.
Telaque Parrhasij, pallentes Zeuxidis vuæ,
Et Cypris, æternum claret Apellis opus.
His at Aristides melior, qui corpora fingunt,
Formam animi minio proposuisse potest.
Exhibuit sic sensa catâ labor arduus arte,
Mens vt in exanimi schemate viua foret.
Hîc ita Nos sacri tibi ducimus icona Mystæ:
Et magè Phidiacis nobile pegma notis.
Corporeos habitus neque enim mentitur, & ora:
Mentis at effigiem, munera, facta gerit.
Plura Timanthæo digiti tamen indicis vsu
Prodita, quam nitido picta colore puta.
Cæde, Ille, in Natæ, mœrentem Agamemnona texit:
Et Satyro ostendit forma, Cyclopa, manûs.
Et tibi ab his, Lector, paucis fas cetera nôsse:
Cernitur in solo pollice nempe Gygas.

Ado & Elisa rebus omnibus florentes, solo heredis ad generis desiderio mœrent.

Simile in Abrahamo & Sara.

Digitized by Google

Dixit Abraham: Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absque
Genes. 15. *liberis: & filius procuratoris domus meæ ipse Damascus Eliezer*
vernaculus meus, heres meus erit.

Pinge palatinas Ligurum de marmore turres,
Lucidaq; uratis atria prima tholis.
Hic patricis apices, Mechlæque insigne superbum,
Francigenumque loca stemmata longa Ducum.
Interiore domo, quantas non voluit Hydaspes,
Diues inexhaustas arca fligellet opes.
Vestes Attalicas, baccata monilia misce,
Ardentesque onychis chrysolithique faces.
Prome epulas, quas vel Tellus, vel plurimus æther,
Colchicus aut Phasis, vel maris vnda tulit.
Hasque inter, blandis autum cytharæque susurris
Ismariam societ Daulias ales epos.
Adde satellitium, famulamque ex ordine gentem,
Patronoque cliens sit sua turba Duci.
Hæc oculis delpecet Ado, neque Elisa moretur;
Dum satis haud votis fausta ter ada facit.
Cur ita? feralis media quod in æde cupressus,
Non ramo viridi, frugeue germen agit.
Nempe deest gazæque & auiti fœmmatis heres,
Ludit in Elisæ nec tener Ado sinu.
Sic quoque Thariades, vernas armare trecentos
Qui potis, & centum duxit in arua greges:
Quo mihi diuitiæ, genus, inquit, si domus æther?
Vernæque Eliezer hæc dare cogor heres?
Hæc illi fuerant non natæ epicedia prolis;
Coniuge cum tristi quæ notat Ado senex.

Hospitalitas Adonis & Elisæ, quâ S. Rumoldum excepêre, primus ad Libertũ obtinendum gradus.

Frange

Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: Et ædificabuntur in te deserta seculorum; fundamenta generationis & generationis suscitabis. Isaia. 58.

Ancipites dum forte vias vagus hospes oberrat,
Calleſque ex omni parte patere videt;
Illic effigiem si fors conspexerit Hermæ,
Monstrantem, quonam tramite carpat iter:
Gratus mox lapides, Cylleni & Numen adorans,
Illius in tumulum terque quaterque iacit.
Huncce perêgrino, magnæ pietatis honorem
Et pretium exhibitæ, soluere cura, viæ est.
Tanta at Mercurio pendit si dona viator:
Iuppiter, haud, Xenius ferre minora velit.
Immò tuis quoties subit indigus advena tectis,
Lymphæque atque cibi fercula parua capit:
Aggerit ipse quasi rituralia sacra, domusque
Insuper in pulchræ mœnia firma locat;
Hospitis innumero vallat dum munere sedes,
Et sterilem optato stemmate sæpe beat.
Ecce Caledonijs terris, alioque Rumoldus
Orbe satus, Latiâ iam simul Vrbe redux,
Testis adest, clari tectis acceptus Adonis,
Cui tulerant steriles tædia longa tori.
Præsulis adventu, sobolis via certa paratur:
O desiderijs terminus, Ado, tuis!
Non hæc dissimulas, sed in hospitis aure reponis:
Hoc facis, hoc mœrens sæpius vxor agit.
Ille stipis dare dona iubet, votisque Tonantem
Poscere, quæ flexit Sara, vel Anna polum.
Iungit & ipse preces, possint quibus astra moueri:
Sic basis occiduæ est ritè locata domus.
Et quæ prolis egens, pessum inclinata ruebat,
Incolumis tollit, nec peritura caput.

Epigramma in S. Rumoldum.

Hoſpes es ambiguus; vox, Præſul, vt hoſpitis anceps:
Hoſpitem Ado paſcit, paſcitur hoſpes Ado.
Ille tibi terrena, paras cœleſtia contrà
Fercula, quêis mentem, nonne vterumque? reples.

Aliud in Hoſpitalitatem.

Luc. 24. Vt peregrini habitum ſibi Chriſtus & induit ora,
Magnum adijt terris irrequietus iter.
Advena iamque caſas, regumque palatia pulſat:
Quem Chriſti accipies nomine, Chriſtus erit.

Parentes S. Liberti ſteriles & grandæui, monitu D. Rumoldi eleemoſynis inſiſtunt.

Prou. 19. *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis.*

Das ſuperis, quæcumque inopi das munera turbæ;
Fitque datæ Chriſtus vaſque, reuſque ſtipis.
Fenoris immò noui genus eſt, ratio altera lucri,
Quale fidelis hero reddere ſueuit agér.
Vt paruo fuerat Tellus vbi conſita farre,
Plurima ibi meſſis falce reſecta cadat.
Noſcere, quanta, cupis? tibi mille rependit in vnum
Hîc Deus, & cœli tot ſuperaddit opes.
Nectareos latices, gelidi pro fluminis hauſtu;
Pro Cerere, ambroſiæ fercula tota capis.
Denique dona iube, cupias quæcumque, refundi;
Fas etenim, ſoluet debita præſto Deus,
Excedétque magis. Theſaurum vile numiſma,
Remque tibi ſolidam res propè vana feret.
Ergò, Rumolde, mones, cupiat ſi prole potiri
Dux Ado, diſtribuat munera larga manu:

Illeque

Digitized by Google

Illeque dum nummos auidè partitur egenis;
Æris pro tenui pignore, pignus habet.

Epigramma in auarum.

Tantalide, medijs vndas qui quæris in vndis;
Et cui vota, parem diuitis esse Mydæ:
Gaude, iam Chymicâ plumbum mutabis in aurum,
Arte: Stipis tantùm vis pretiosa potest.

Aliud in Eleemosynam.

Fractis quid trepidas committere semina glebis?
Quid gemis? arua manus vel quid auara serit? 2. Cor. 9.
Non tibi sors moritur, crescit, quam credis agello:
Et si larga tibi dextera, larga seges.
Perdita ne malè crede; malè aut ne credita rêre
Dona stipis: seris hæc, vt dupla, tripla metas.

Oratione Sancti Rumoldi & Parentum Eleemosynis Libertus impetratus.

Bona est Oratio cum Ieiunio & Eleemosyna, magis quàm thesauros auri recondere. Tob. 12.

Apostrophe ad S. Rumoldum.

Pennipotens tua, magne Pater, vox æthera vicit
Par aquilæ volucri, fulminibusque Iouis.
Huic tua nam addiderant alas ieiunia binas;
Largáque, quæ iussus porxerat, æra Comes.
His celer, empyreas subitò trans sidera nubes,
Fulguris, igniferæ moréue scandit auis.
Iamque recepta polo, latum exagitauit Olympum;
Vt rupti tonitrus, æthra, fragore labat.
Tergeminæ vis tanta precis. Non fortior illâ
Flamma trisulca, Iouis quâ domat omne manus. Ergò

Digitized by Google

Ergò quod vrgebat, Superi, mora nulla, dedêre:
Quæsituſque, Duci mittitur axe puer.
Regiaque vt volucris Ganymedem aduexerat aſtris:
Libertum reducis ſic tulit ala precis.
Scilicet vt ſimili ſungatur munere terris,
Natalemque ſacro nectare potet humum.

Epigramma in S. Rumoldum.

Eccl. 35. Supplicis, aëreas penetrant vota ignea nubes;
Vt ſolet è neruo pulſa ſagitta leui.
At dum tam certo libras ea ſpicula iactu,
Tam properéque tibi præda petita venit:
Nonne, Rumolde, ſequax & ineuitabile telum
Cecropij Procris tunc iaculatus eras?

Aliud.

Fas fuit Ægidæ, patris tria vota potiri
Munere, quòd natum perdidit Hippolytum.
Neſcit at hunc numerum, præſtare vel improba Numen:
Dant magis Hippolyto vota, Rumolde, tua.

Oratio, Eleemoſyna, & Hoſpitalitas Adoni Libertum per Gratias mittunt.

Hebr. 13. *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci, per hanc enim latuerunt quidam Angelis hoſpitio receptis. Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtijs promeretur Deus.*

Dialogiſmus.

Quam triadem aſpicio? Charitum? An modo candida Nymphis
Palla? verecundæ ſic decuêre togi.
Quid portant? ſolitæ quæ ferre, Chariſtica dona?
Quantáque vix paucis gratior æthra dedit. Quæ

Quæ porrò ? Quæ tres Dî, Hyreo retuliſſe feruntur,
Hermes, Neptunus, Cœlicolumque pater.
Fortè nouum claudent tergo Oriona bouino ?
Materno melius viſcere Eliſa feret.
Illàne, menſa bouis corio Carthaginis arces ?
Non, at Belgiaci Penelopæa ſoli.
Qui mittunt munus ? Tres Diuæ, Oratio, Nympha
Hoſpita, quarque inopes ſueta leuare ſtipe.
Quod tanti meritum præmî ? quod Orionis olim,
Cepiſſe aſtrigenas hoſpite ſede Deas.
An pius vſque adeò ſit quiſquam ? Ado, ſanguine terris
Quo non Belgiacis, vel probitate prior.
Ingens haud dubiè donum, quod reddidit æther!
Credo, celêbris erit nil Orione minùs;
Nimboſaſque poli rutilantem aliquando per arces,
Orabit timidus ſupplice nauta prece;

Epigramma in illum virtutum ternarium.

Rete cupiſne tenax & ineluctabile prorſus,
Siue aliquid cœlo, perſequeriſue ſolo?
Nexu, age, virtutes has vnà iunge trilici;
Gordius haud ſimilis nodus, & Herclis erit.
En ſimul hic Superum, laqueus penetrauit in arces,
Caſſibus, Ado, tuis præda tenenda ruit.

Aliud.

Nexuerant Veteres auratis Numina vinclis,
Semper vt, auxilijs, & citò præſto forent.
Marmora ne vinci, nodo hoc ſed triplice Numen.
Nullâ funiculus ſoluitur arte triplex:
Vel manicis ligat ille Deum. Me mitte revinctum,
Moſi ait, impediunt nam tua verba manus. *Exod. 32.*

Libertus non naturæ fœtus, ſed gratiæ, orationis & piorum operum præmium è cœlo conceſſus.

Digitized by Google

Psal. 112. *Quis ſicut Dominus Deus noſter-Qui habitare facit ſterilem in domo matrem filiorum lætantem?*

Grandæuæ ſterileſne toros miraris Eliſæi?
Tantùmque Adoni pignora nata ſeni?
Conſilium eſt Superum: ne prolem hanc patria virtus,
Gratia noſcatur, ſed generâſſe poli.
Quid magè conchyli durum? hîc, tamen æthere roris
Decidui guttis candida gemma coit.
Atque auri rude pondus, vbi flauentibus antris
Occulto aſtrorum munere terra parit:
Non arbor formoſa viret, non ſpicea meſſis
Lurida ſed ſqualliens contegit arua ſilix.
Viſcere ſic ſterili, ſed fœcundantibus aſtris,
Libertum, in vitæ lumen Eliſa tulit.
Edidit informis rugâ, & niue ſparſa capillos,
Belgiaci gemmam diuitiaſque ſoli.
Naturæ illa quidem fuêrunt miracula dici;
Vendicat hocce nouum Gratia thauma ſibi.

Epigramma in S. Libertum.

Iſa. 45. Vox erat hæc Verpis, Chriſtus properaret vt axe
Ros velut, aut Tellus funderet alta ſinu.
Sicque tuæ exoreris vindex, Liberte, Malinæ;
Vt ſimili aſtra parens pulſat vterque prece.
Vnio nam ſterili matris concreſcis in aluo:
Ros qui te genuit, gratia Dia fuit.

Aliud in S. Rumoldum.

Vi tacitâ, auriferæ ditat ſol viſcera terræ:
Hocquè, Rumolde, etiam Phœbus vt alter, agis.
Virtutem certè occultam cupis eſſe, ſed illa
Luminis indicio proditur ipſa ſui.

S. Liberti ſterilibus & ſenibus parentibus nati, cum Iſaac & Baptiſta comparatio.

Quare

Quare risit Sara, dicens: Num verè paritura sum anus? Nunquid Deo quidquam est difficile? Gen. 18.

Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit in senectute sua, quæ vocatur sterilis; quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Luc. 1.

Zacharides Isacusque, patrum vt frigente senectâ,
Effœtis fuerant pignora nata toris:
Tardi ita nunc sterili thalamo Libertus Adonis,
Progenies Superum munere creta, datur.
Ac velut Abramidem, Genijs sub tecta receptis,
Hospitij pietas officiosa tulit;
Assyrijque, Pater quos arâ vrebat, odores
Prodromon astrifero prolicuêre polo:
Libertum sic hospitio Rumoldus Adonis
Rettulit, ardenti promeritusque prece est:
Matris Adelisæ risus & gaudia patris,
Gratia cuique parens nomina iure ferat.
Prisca iuuent alios: ego te, Rumolde, vocabo
Abrami alipedem, Zachariamque nouum;
Tu verò, Liberte, nouus mihi Prodromus; alter
Isacus, & Samuel ter rediuiuus eris.

Epigramma.

Diuum, Ioannes, gratiam; Isaac risum,
Et postulatum Samuel à Deo signat.
Age dic, ijsdem iure nonne Libertum
Vocabo? fetus qui poli, patrum risus,
Precumque fructus atque palma Rumoldi?

Aliud.

Tres lare pennigeros Abram suscepit, vt olim
Paruâ tres Hyreus fingitur æde Deos.
Hique Oriona, nitens sidus; Genijque dedêre
Isaacum, cuius creuit vt astra genus.
Pandit Ado Triadi quoque, dum tibi tecta, Rumolde;
Et Libertus Isâc, Adoque factus Abram.

Digitized by Google

Est pater iste fide, Libertus victima Mechlæ;
Angelus es tantis, duxque, Rumolde, bonis.

S. Rumoldus Liberti natiuitatem, vitam & sanctitatem parentibus antè denuntiat.

S. Rumoldi Aureolæ.

Laudemus viros gloriosos & parentes nostros in generatione sua.
Eccl. 44. *Homines magni virtute & prudentiâ suâ præditi, nunciantes in prophetis dignitatem prophetarum.*

Quæ, Rumolde, satis tibi laudum encomia texam?
Quèis ego te titulis, nominibusque vocem?
Nam Diuûm, quæcumque, alios diuersa coronant,
Cuncta simul decorant nobile serta caput.
Huius, adaucta fides te dicit Apostolon vrbis;
Teque patrem, Mechelæ gens numerosa vocat;
Martyrijque propè est clari fabrile trophæum,
Mitraque fronte micat Pontificalis honor.
Horrida tum Vlmeti, Monachis te iungit Eremus,
Liligeræque tenes signa pudicitiæ.
At tibi mens Vatum neque deêst præsaga futuri:
Dant sortes veterum, præscia corda, pares.
Præcinis Adoni, pulchrâ fore prole parentem;
Inque omen, puero nomen inesse iubes,
Et mores aperis & vitam: Denique nondum
Libertus natus, iam tibi notus erat.
Quid? cum Diliaco mersum rapturus ab amni
Curris, & è tumido præcipis ire vado,
Spectanti medius turbâ; te ad littora nunquid
Enthea fatidici Numinis aura tapit?
Parce, tamen dubitare subit, num dixero Vatem?
Ille futura canit, tu magis illa facis.
Incumbis precibus, cœlumque his impetis armis,
Cedere quêis tantùm Numen, & astra solent.
Luctabâre nouus Iacob, acerque Nunides,
Cogebas precibus sidera summa tuis.
Sis igitur Vates, paradoxo at nomine certè
Dicere Theiomachum, Nicotheonque velim. Epigram-

Epigramma.

Rumoldus, Romulus

Dele gramma mihi, Latiæ ſum conditor Vrbis.
Littera ſed cum noſtra, Dei ſit nominis auſpex;
Relligione, noua eſt, mihi Mechela condita Roma,
Boſphoreis titulo nolit quo cedere regnis.

Poëticus Luſus ſiue Genethliacum Liberto, & fidei cum eo Mechliniæ adnaſcenti dictum.

Quondam Aſtræa, pari librat quæ iure bilancem,
Rexit purpurei tempora prima poli.
Huîcque cohors bene fida fuit, Reuerentia Diuum,
Pax, Pudor, Vbertas, Vita, Iuuenta, Salus.
Quàque iuêre, ſolo fundebant munera latè;
Prodibatque recens ſub pede ſponte roſa.
Maturis inaratus ager canebat ariſtis,
Pendebatque grauis mitibus vua rubis.
Tunc neque tabificus ſeps, aut metuenda veneno
Gramina; mulcebat dipſada pura manus.
Infeſti neque Gryphes equis, pardiſue leones:
Cum balante, lupo fœdus amorque fuit.
Hiſque adeò dominatus homo, rex ſceptra tenebat;
Imperiumque, ferox tigris, herile tulit:
Donec Cœlicolæ violati immanibus auſis;
Raptæque igniuomo ſolis ab axe faces.
Namque nefas hominum, tunc infandìque Promethei,
Iuppiter vlciſci dum ſacra furta parat:
Mulciberum, Superis coram, iubet arte potenti
Virginea è molli ducere membra luto.
Moxque Deoſque, Deaſque nouæ dare munera Nymphæ;
Pandoramque ſimul dum vocat, eſſe facit.
Horrificis fœtam ſed promit pyxida monſtris,
Quâ clauſum, Stygius quicquid Auernus habet.
Hancque Deæ; vltrices pœnas, peſteſque, neceſque
Latè ſparſuræ per ſola cuncta, dedit.

Digitized by Google

Haud mora, brumali non sic salit æthere grando,
Aëra tamque frequens vere perterrat auis:
Vt paruo innumeræ, pandente Epimethide, noxæ
Pervolitâre solum vase, liquensque salum,
Luctus, Cura, Metus, Discordia, Morbus, Egestas,
Et Labor, atra Fames, & genus omne nefas,
Hippotadæ veluti laxati carcere nimbi,
Vndique texerunt nubila fœda polum.
Non has fuscus Iber clades, non fugit Eous;
Sensit & Oceani Belgica rauca vadis.
Sensit, & ingemuit duro sub pondere, felix,
Nec simili Tellus antè suëta iugo.
Nam simul ambrosiæ perierunt fontibus vndæ,
Pampineisque rubi detumuêre botris.
Succreuitque filix calamis, tribulique minaces;
Et renuit fluidos quercus amœna fauos.
Ac simul humanâ fugit fera libera lege
Rupit & indomitum fœdera pacta genus.
Omnibus hæc terris damna incubuêre, rigentem
Præcipuè sed quà despicit Vrsa plagam.
Sed tulit, ingentes donec Cœlestibus iræ
Placari, immissis tot didicêre malis.
Ergò aderat tempus, serò cum pellere clades
Belgiaco voluit mitior æthra sinu:
Constitit vt subitò medio puer aureus axe,
Mulciberi egregium nobilioris opus.
In quem omnes pariter Superos, Cœloque receptas
Virtutes iussit munera ferre Deus.
Haud mora; Religio, Pietas, Pudor, entheus Ardor,
Atque aliæ, certant condecorare magis.
Pandoramque putes, nî hic sit puer, illa puella:
Tam varià sunt hic, illaque dote pares.
Attamen haud vnum nomen placet esse duobus,
Fatus at indicit sic potiora Tonans:
I, puer, i tectis terras delabere nostris;
Gemmea squallenti duc, age, fata solo.
En tibi Libertas superis comes arcibus ibit,
Soluat vt antiquo Belgica colla iugo

Pàxque

Digitized by Google

Paxque revincta caput ramo frondentis oliuæ,
Vallabuntque Salus, Copia, Vita latus.
Quæ noua progenies simul vt descenderit astris,
Sparserit & roseum prona per arua iubar;
Illicò præcipiti fugient mala noxia cursu,
Transque breues Gyaros, Sarmaticamque Tomum,
Vereque pubescet Tellus recreata perenni,
Innocuumque hominum surget vbique genus.
Per te igitur terram Libertas quando reuisit;
Lætum age, Liberti nomen, in omen habe.
Dixerat & nitidis radiantem pyxida gemmis
Protulit, omnigenis pharmaca certa malis.
Hoc rosa, & ambrosiæ gramen, panaceque, potensque
Moly, & Nepenthes clausa fuêre scypho,
Queis luctus animis & pellat corpore febres,
Sarciat & donis pristina damna nouis.
Iamque adeò paterâ Cœlestum pusio diues,
Advenit ætherei soluere iussa Patris,
Inflectitque viam, gelidus quâ parte Bootes
Clara Calystonio limite plaustra regit:
Cum subitò ingentes sonuêre per æthera cantus,
Læuáque ter tonitru signa dedêre poli;
Ipsaque tantorum Tellus præsaga bonorum,
Exhibet inuisis gaudia mira modis.
Flumina nam niueo lactis mutata colore,
Hæsit & immiti nectaris vua rubo.
Nec sata; rorifluis sed Olympi obtutibus vltrò
Prodit agris curuâ falce metenda seges.
Permutantque adeò ferri aspera stamina Parcæ,
Magnus vti æterno iusserat ore Deus.

Lusus Mythologia.

Pandoram Hesiodus, Cœlo Aten finxit Homerus
Invexisse solo semina prima mali.
Moysis, hausta sacris sed furta hæc improba chartis
Dissimulare suum quêis cupit Anguis opus.
Ille vafer vetita decerpsit ab arbore malum,
Quâ se mortiferâ polluit Eua dape.

Femi-

Digitized by Google

Feminaque illius sceleris saturata veneno,
Obtulit atra pari fercula felle, viro.
Fruge vnâ perière duo, quam Vipera tinxit:
Atque hominum, pestis fusa per omne genus.
Hinc labes prima orta mali mortalibus ægris;
Hinc mors, hinc macies, hinc colit arua labor;
Hinc scelus & noxæ: quæ damna vt pelleret, alter
Christus Adam miseris, Eua Maria fuit.
Insigneſque animæ iussæ, virtutis amore
Mollire indomitis pectora digna feris.
Lamberto hîc Mechelæ, radijs aurora coruscis:
Rumoldo, fidei debita clara dies.
Tertius huc etiam, pulchrâ qui luce niteret,
Pusio stellanti iussus adire domo.
Non huic Seraphidum flammæ, non lumina Cherub,
Mens neque sidereis defuit æqua Choris.
Vatum illi & similis zelus, laurique comantes
Martyrij, & niueæ virginitatis amor.
Cuius in aduentu, cœlo radiata sereno
Lætitiæ Tellus plurima signa dedit.
Nempe velut Vates, vtque ista, Sibylla locuti:
Christiadûm nam sic aurea secla canunt:
Sic, Liberte, quidem subijsti luminis auras,
Tam plaudente solo, tamque fauente polo.
O si nunc pariter, patriæ dum tecta reuisis,
Gaudia totquè tibi, læta Malina nouat:
Belgiadis liceat fatis melioribus vti!
Tot scelerum formas, tam fera bella premas!
Perfidiæ per te vesania cessit auitæ,
Aureáque inuexit tempora sacra fides.
Pulsa tuo reditu simul hæresis improba cedat:
Tunc quoque nam referet gemmea lustra fides

Ad Liberti nomen, ex asserta ab Impietate Mechlinia inditum, Allusio; siue, Genethliacum sacrum.

De-

Digitized by Google

Depulsa Eoi solis igniferâ domo,
Fide calente; longè Hyperboreos adit
Glacialis Vrsæ, extorris Impietas sinus:
Vbi luridorum vecta serpentum iugo
Superba victrix, imperî leges dedit,
Suos gelatum clima quam fines procul,
Morinos propagat vsque & Iccium salum.
Hîcque, vbi refuso murmurant fluctus vado,
Tenuique regerit Diliæ Scaldis fretum;
Perfidia demens, cincta vipereum caput
Sterili cupresso, & buxeum sceptrum vibrans
Mediæ per oram Mechelæ, infaustâ strige
Nigrâque ouabat alite. Eumenides, cui
Frontem capillo turgidam anguineo horridæ,
Fastusque præceps, & Furor, & Audacia,
Pestesque, quotquot antra Phlegetontis colunt,
Furuam curulem ponè stipantes, jo,
Ter jo triumphe, ferreo vlulabant sono.
Tum quoque nefanda sacra, dum pompas agunt,
Totâ frequentant vrbe; vix tetrum, picis
Vndante fumo, purpurat Phoebus polum.
Passim Lyæus Bacchicas aras liquor,
Et Palladis, mergit Venafranus latex,
Tibique, serto spiceo flauum, Ceres,
Caput; ligasque Cyprîâ Myrto Venus:
Atque arcuatos turbido foro tholos
Vbi leuârant mille manubijs graues;
Centum nigrantes Veioui tauri cadunt,
Erebique steriles tot Deæ litant boues.
Hoc dum Mechlam feralis Impietas modo
Latè triumphat; lacrymis spargens genas
Intereà; & astris supplices tendens manus
Validâ Rumoldus Numen vrgebat prece,
Tantis medelam ferret vt tandem malis:
Cum splendicanti protinus lapsus poli
Puellus arce, Cœlitum trahit simul
Agmen Dearum, Ponticos qualis sinus

Digitized by Google

Gelidique ripas Tanais olim deserens
Animosa turma, Martiâ domuit manu,
Quidquid renatas Cynthij spectat faces.
Hasque inter ibat Amazonas, Ductrix fides
Crucis vibrans hastile, & auratâ latus
Protecta peltâ; quam prope, Astrigena Charis,
Relligio, Probitas, & tenax æqui Dea,
Aliæque, honesto quas regit Virtus choro.
Non sic opacam discutit noctem iubar,
Dum sol micanti vectus in cœlum rotâ
Iacens serenat luce purpureâ solum:
Lethe vt triumphis insolens, subitò sacræ
Pauore turmæ deserit plausus suos,
Hecatesque cæca regna cursibus petit.
Haud mora, superbis spolia detrectant tholis,
Illoque victæ probra perpetua Stygis
Scribunt Colosso: fronde tum omnes laureâ
Cinctæ, puellum Tartari prælis grauem,
Teneriscque dextris rupta monstrantem iuga,
Vmbone portant, lacrymis vbi sinus
Madens Rumoldus astra lassabat prece;
Illique cœli munus immensum offerunt
Præbendum Adoni. Tuncque Dublinius Pater
Enthusiasmo percitus, geminas leuat
Cum voce dextras, alteroque vdis genis
Promens liquores: Tene mi, exclamat, puer,
Quem mille votis, mille quem stillantibus
Lacrymis popoſci, Cœlitum accipio domo?
Tén video? opima quin spolia simul Stygis,
Manibusque lætis fracta tendentem iuga
Liberte? nam te, postque pulsa Tartara,
Sceluscque priscum & Belgicam assertam Deo,
Cur aliter almi vindicem appellem soli?
Liberte, patrijs missa Libertas plagis!
Liberte, patriæ fauſtitas, salus tuæ!
Felix Malina! Mechela felix millies,
Iactare alumnum patria quæ tantum potest,

Patriæ-

Digitized by Google

Patriæque patrem! sic ait, & vlnis capit,
Dulcique mulcens suauio & complexibus
Cœleste donum, comite Nympharum ordine
Longo, superbum limen Adonis petit.
At, Musa, siste dicere, quis ingens lares
Subitò tumultus impulit? quis insolens
Clamor per auras voce lætisonâ subît?
Vt sponte, sese cardine emoto fores
Aperire visæ, & picta flammanti atria
Micuêre tædâ. Mitte, quo effetus parens
Vterque, missum gaudio accepit genus;
Quibus omnis aula cantibus, Mechela quibus?
Haud alius vnquam similis huic fulsit dies,
Totidem nec æther plausibus visus peti,
Vt dum puelli Principis genethlios
Fauentiori celebrat aduentus polo,
Et tota festis personat latè vrbs modis.

Epigr. in Libertum natum & nominatum.

Libera visa sibi post cæsum Vrbs Martia Iulum,
Lætitiæ invisæ plurima signa dedit.
Cudit & ingenuo donaria picta galero, *Sueton.*
Libertasque, suæ grammate iuncta notæ est.
Quanto tu potius Liberto libera nato,
Passim hæc per vicos æra, Malina, seras?

Phaleuci in idem, Liberti nomen.

Libertus tibi, dic quis, Vlpiane?
Qui duræ probra seruitutis, infit,
Insignis petaso manuque missus, *Vlpian.*
Dono ponit heri, assecutus Vrbe
Martiæ sacra iura ciuitatis.
Liberto, sed ais, quid ista quadrant?
Bellè; namque Ducem velut, secutum
It vulgus præeuntis vsque passu:
Dum tanto Comitis sui, Malina
Incensum fidei calore pectus,

Digitized by Google

Dum quæ maxima cœlitus Rumoldus
Adoni tribuit ſibique dona,
Vidit lætitiâ ſtupens ſalubri:
Fœdi ſeruitij execrata labem,
Quo dudum malus obligârat Orcus,
Et tot perfidiæ abſoluta noxis;
Romulæ ſacra ſancta ciuitatis,
Romulæque fidem capeſſit vrbis.
Libertatis vt aureum Rumoldus
Quod Lymphâ puero indidit renato,
Mechlæ ſit patriæ perinde nomen:
Quam Præſul parili alueo rigatam,
Donans ceu rude Conſuliſue virgâ,
Magni municipem ætheris, Deique
Libertam vocat & facit perennem.

Alluſio ad Liberi & Liberti ſimile nomen cum Antitheſi,

Par, Bromius quod Liber habet, nomenque minutum
Libertus, vacuum ne ratione puta.
Namque bis in lucem genitus, dictuſque bimater
Cadmeæ vt Semeles ille Iouiſque genus:
Libertus poſſit genitus bis nomine dici;
Quem Præſul precibus, quem generauit Ado:
Seu quia Rumoldi, vitæ bis vota dederunt,
Cum natus, tumidi raptus & amne vadi.
Nam quòd & aſſutus femori Iouis Euhyus Euan,
Matriſque impleuit tempora dena pater:
Rumoldi ſimilis lateri Libertus inhæſit,
Vt primùm teneris impulit aſtra ſonis.
Nutriciſque loco, gerulæ fuit atque parentis,
Amphytrioniadæ Phyllirideſue noui.
At quod fulmineo Iacchus patris vſtus ab igni,
Fontes & liquidas ſemper amauit aquas,
Vitiſatorque botro fixit vineta reperto,
Flammipotente ſimul fœta calore Iouis:

Contrà,

Digitized by Google

Contrà, mersus aquis superos hic arsit in ignes,
Solâ quos potuit mergere cæde cruor:
Vitemque ætheream, turgentem & nectaris vuis
Seuit, queis meliùs, Mechla, pudica fores.
Par igitur, dispar & vterque; ambobus at aptè
Par nomen, paritas disparitasue dabit.

In simile Liberti & Adonis nomen, ex Ausonio.

Oggia me Bacchum vocat,
Osirin Ægyptus putat,
Dionyson Indi existimant,
Romana sacra Liberum
Arabica gens Adoneum.

Epig 29.

Epigramma.

Qui Liber Latijs, Syrijs est dictus Adoneûs:
Sicque colit Bromium, sic vocat vstus Arabs.
Penè ita debuerant dici natusque, Paterque;
Per quos hâc, fidei vitis, in vrbe sata est.

Aliud in Adonis nomen.

Te quis Acidaliæ carum, Ado, haud credat Adonim:
Cui sterili, sobolis munera, datque seni?

In Elisam S. Liberti matrem.

Elisa quondam pandit Iliaco Duci
Libycos penates, causa temerati fuit
Cui sed pudoris hospes, & lethi impij.
Elisa non sic illa, quæ externis quoque
Venientem ab oris Præsulem, vbi Scoto latet
Sub axe Tellus, hospite accepit lare.
Virtutis illa præmium, & lætum genus,
Fœnus locatæ grande rettulit domûs.
Non ergò Elisæ nomen illius placet;
Par sed beatis partubus magis altera,
Quæ ventre sterili & debilisenio grauis

Digitized by Google

Magnum Tonantis prodromum in lucem tulit,
Aut ab Eliſæi vatis hoc etymo velis
Manare nomen, qualis Eliſæ fuit
Rumoldus hoſpes, cœlitus natum obtinens
Votis, & atræ rurſus eripiens neci.
Vocari Eliſam ni magè antiphraſi placet,
Didûs quod habeat, præter hoſpitium, nihil.

Epigr. in vtrumq; ſimul parentem.

Plantam ſi ſua quamque dona produnt:
Ado, quæ tibi; quæve Eliſa, fauſtis
Flauens arbor Atlantidum viretis,
Aut Phæacia par ſiet per arua?
Tantùm eſt vnica digna comparari,
Quæ per Protogenûm ſalubris hortos
Vitæ munera fudit æuiternæ.

S. Libertus naſcens & moriens, quaſi ſacrificium matutinum & veſpertinum Deo dicatur.

Hoc eſt quod facies in altari; Agnos anniculos duos per ſingulos dies iugiter,
Exod. 29. & 30. *vnum agnum manè & alterum veſpere. Et adolebit incenſum ſuper altari Aaron, ſuaue fragrans manè & ad veſperum.*

Mos fuit Iſacidis, vt ſol cum ſurgeret alto,
Mergeret Heſperijs vel ſita plauſtra vadis:
Suaueolens, Myſtes thymiama imponeret aris,
Ignibus & pecudis corpora tota daret.
Fallor, an hos video ritus & ſacra nouari?
Biſque agnum Superis, bis pia tura dari?
En ita, Libertum vota inter odora Rumoldi
Vix genitum, obſequijs deſtinat Ado Dei.
Chriſtiadumque iubet mores formante Rumoldo
Diſcere, ſintque quibus aſtra colenda modis.
Cuſpide dumque cadit Geticâ mactatus ad aras,
Turis, quiſue agni dona litata neget?
Non ſtacte, pecudumue cruor, fuſuſque Lyæus.
Sed mens pura Deo ſacrificata placet:

Equi

E quâ vt cynnameus, pietas, trans æthera nidor
Peruolat, & rutilas implet odore domos.
Nempe hæc Thariadæ, Natique holocausta fuêre;
Tantùmque Abelis munera grata Deo.
Hoc quoque Liberti, donumque vtriusque parentis,
Mens pia, fraudis egens, innocuæque manus.

Epigramma.

Mystica, dum fruges primas pecudesque iubebat,
Isacidas Numen dona litare sibi;
A teneris monuit mentes sibi ritè dicandas; *Exod. 13. & 22.*
Sic namque innocuo quærit honore coli.
Lactentûm Infantûmque, canit Iesseius heros, *Psal. 6.*
Munera perfectæ laudis, ab ore capit.

S. Libertus Samuelis similis, D. Rumoldo instituendus & Deo sacrandus traditur.

Et adduxit Anna Samuelem ad domum Domini in Silo, postquam ablactauerat eum, in vitulis tribus &c. 1. *Reg.* 1.

Dialogismus.

Quæ noua fert asinus pando mysteria dorso?
Quæ Diuæ effigies, Relligioque noua?
Quæ puerum complexa sinu, terniisque bouinis
Fœtibus aucta, sacræ limina sedis adit?
Annæ est, quem cernis, priscæ typus. Illa Sidonis
Anna Perenna, fuit cuius Elisa soror?
Quamque marítali rapuisse Numicius amne
Dicitur, & Latijs inseruisse Dijs?
Haud ea, Cadmææ tamen hanc vicina Sidoni
Tellus, Abramidûm genti habitata tulit.
Æmulaque ipsius, simili indigitata Phenenna
Nomine, parque deest sed nec Elisa soror.
Quæ pietate magis similes & moribus ambæ,
Quam facie Didûs, Sidonis Anna fuit.

Anna

Anna quidem iam nota mihi : quam dicis Eliſam ?
Illa eſt, connubijs quam ſibi iunxit Ado.
Belgiadum Dux magnus Ado, cui ſtemmatis alti
Addiderant clarum Celtica ſceptra decus.
Quſ tamen Helcaniæ tantùm par extitit Annæ?
Partubus inſuetis muneribuſque pijs.
Expertes ambæ ſobolis ſibi ab æthere votis
Optatum pariter promeruêre genus.
Dumque dato cupiunt pro munere ſoluere grates,
Quêis nil maius habent; pignora, dona ferunt.
Aſin. Apul. Magna hæc Relligio, quam certè haud tergore dignus
Ferre aſinus, quamvis Aureus ille foret.

Epigr. in Annam Helcanæ coniugem.

Alciat. emb. 7. Iſidis, addiderat cui Iupiter ora Iuuencæ,
Tergore aſellus iners dum ſacra ſigna vehit:
Intumuit faſtu, tantos ſibi plebis honores,
Totque ratus fieri ſupplice vota genu.
Nunc magè ſollicitet te typhus inanis, Aſelle:
Annam cum puero, tres vitulosque geris.
Sarcina non vilis, cupiatque hâc illa figurâ
Relligio, quali Ieſſeis Anna, dari:
Si differt vtriuſque tamen, dum vector vtrimque es,
Proque vnâ, vitulos tres vehis eccè, boue.

Indolis bonæ in Liberto puero Iconiſmus.

Ad Rom. 16 *Deus autem pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris velociter.*

Miſerat horrificos ſinuoſis orbibus angues,
Alcidæ in pueri, Iuno Nouerca, toros:
Vix at ſanguineâ ſanie trifidiſque minaces
Linguis, Cunarum mollia ſtrata petunt:
Cum ſimul innocuo, ſquammantia lumine terga
Serpentum aſpiciens, mortiferaſque iubas,
Obvius arreptat contrà, taboque fluente
Implicat impauidâ lurida colla manu.
Prò Herclis generoſa, ſcio, præludia, dicis;
Et tirocinij fortia facta ſtupes.

Nil

Digitized by Google

Nil mirare minùs Liberti gesta puelli;
Infans, illi animis, robore parque fuit.
Iam tunc vipereas vitiosa ab origine pestes,
Bellatrice, animi reppulit, arte, sinu.
Iam tunc & colubros, irrepentisque piaculi
Herculeo pressit monstra timenda pede.
Pro! quæ olim quoque dira, aut quas non vicerit hydras
Hæc sunt si teneræ crebra trophæa manus?

Altera fabula de Hercule puero, ad Libertũ translata.

Palladis auxilijs admissus ad vbera Diuûm
Reginæ, viresque tulit, venturaque crudæ
Damna senectutis repulit Tirinthius Hercles.
At, durè nimium, pueri nec more papillas
Dum premit ore, sinu Iuno iracunda remouit.
Lapsaq; pars laticis, mammam inter & ora puelli,
Hæsit sideribus, creuitque hinc lacteus orbis:
Altera pars, terris flauentia lilia tinxit,
Inque diu croceo mutauit flore colorem.
Fabula: Libertum sapientia at alma Rumoldi,
Lactea vt Elysij Tempe, cœloque repostas
Delicias, docuitque manent quæ præmia rectos:
Vires inde tulit, pestes queis vicit Auerni,
Scandit & astrigerum meritis nouus indiges axem,
Virginei portans canentia serta pudoris.

3.ª Fabula Achillis pueri, Liberto aptata.

Æaciden simul vda graui Thetis edidit aluo,
Lethæis immersit aquis; ne peruia telis
Nati membra forent: pedibus sed forte retentum
Illotis, Paridis fixit lethalis arundo.
Hic pede cum terram potuit pulsare valenti,
Chironi commissus auo, neruisque leonum
Creuit, & horrendis vrsique aprique medullis,
Magnanimum, ne sit, qui viribus æquet Achillem.

Digitized by Google

Præstitit ista tibi melius, Liberte, Rumoldus,
A teneris, Orci dum lurida regna timere
Edocuit, pateant nulli quò pectora noxæ.
Illeque Phyllirides non te perdicis, alumnum
Aut turdi dapibus, vel Phasidis alite nutrit:
Victu sed tenui duros perferre labores,
Vincereque instituit sobrio pallore Satanas.

Libertus puer rebus fidei & pietate, à S. Rumoldo instituitur.

Dicuntur pulli aquilarum à parentibus sic probari, patris scilicet vngue suspendi & radijs solis opponi: Qui firmè contemplatus fuerit, filius agnoscitur: si acie palpitauerit, tanquam adulterinus ab vngue dimittitur.

S. Auguſt. tract 36. in Ioan.

Vix Dominæ maternus auis calor oua resoluit,
Et tenero fœtus ore bibere diem:
Cum rapit horrentem tenui lanugine nidum,
Scitatura fidem iudiciumque poli.
Indolis arbitrium Phœbi defertur ad ignes,
Hîc vitæ ac generis causa, tribunal habet.
Qui radios nequit ore pati lucemque magistram,
In sola præcipiti degener axe cadit.
At si constanti, refugoque haud lumine, solis
Sensifici ardentem sustinuêre facem:
Sedula mater alit scansuros fulmine quondam
Cum trifido, superi regna coruſca Iouis.
Pusio talis erat, clari Libertus Adonis
Sanguine magnanimo, vel magis axe satus.
Mens cui sublimis, vigor entheus indolis altæ,
Et virtus animo congenerata suo.
Aptus vbi in nitida mortales luce laborant,
Sidereum cupido lumine ferre iubar.
Hunc donatum igitur sibi primâ ætate Rumoldus,
Illa aquila, ille poli, mente, superna tenens;
Mox generosâ acie Diuini incendia solis
Rimari docuit posse, eademque pati.

Ille

Ille autem exultans animis in luce serenâ,
Hauribat totas ore bibace faces.
Iamque erat his illi, flammis ardescere votum,
Atque auis Assyriæ posse perire modo.
Haud licuit puero, Phœnix fuit ipse cruentâ
Morte cadens; aquilam nunc fuit esse, satis.

Epigr. in Liberti puericiam.

Lana neque imbutum perdit medicata colorem,
Quique fuit testæ primus, adhæret odor.
Nectare testa ideò, tingendaque murice lana;
Atque ætas potiùs more pusilla bono.
Irrequieta tibi Libertum hinc cum, Rumolde,
Imbuere à teneris ambrosiâ atque rosâ.

Aliud.

Omnis vt agricolæ viridi spes messis in herba est:
Sic puerûm mores sæpius omen habent.
Vidisti hoc mentis cultor, Rumolde, tenellæ,
Lucra tuus pareret quanta subinde labor.

Aliud.

Non sic oppositò speculi spectantur in orbe,
Hausta repercussus dum color ora refert:
Noscitur vt genius primis visque infantis annis,
Nec tegit occultos vlla latebra sinus.

Impietas è Belgio profligata, Deorum seu Dæmonum Concilium advocat, & de perdendis Rumoldo & Liberto seriò pertractat.

Dixerunt impij cogitantes apud se non rectè: Circumueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris. Promittit se scientiam Dei habere &c. Sap. 2.

Belgiadûm cùm se extorrem florentibus aruis,
Ad furuosque lacus & Auerna silentia cogi

Impietas videt; haudque modò superesse, Brabanti
Spem sceptrum retinere soli, pellente Rumoldo
Vndique, & in similes studijs hostilibus artes
Crescenti puero, totas qui nomine tantùm
Trudere Mechliacis pestes promitteret oris:
Immanes œstro horribili feruescit in iras,
Diuûmque, exacti loca qui diuersa tenebant,
Concilium ciet; vltrices vt sumere pœnas,
Infamisque fugæ properent extinguere probra.
Haud mora, Cerbereos ardens simul omnis in æstus
Turba venit, certantque vias reperire nocendi;
Diliaque inprimis, Mechelam submergere tectâ
Illuuie, aut pelagi refluos abducere cursus,
Ingentique aliò parat vrnâ auertere flumen.
Vnà alij, pecorique Pales, cerasisque Napææ,
Damna Ceres calamis, febresque infestus Apollo,
Mœniaque in sterilem iurat Mars vertere campum.
Impietas sed læta Deûm flammantibus iris,
Et flecti sic visa, vafro tunc corde locuta:
Non ita, ait, gratos odio inuidiâque duorum,
Incautis animus fuerit malè perdere tractus,
Consilio quærenda malis meliore medela,
Vindex esse sui nescit furor, arte dolisque
Hîc opus, vt damni causas vtrumque, latenti
Fraude nigris Erebi mergamus protinus vmbris.
Nostis enim, neque longa ætas, vt cæde cruentâ
Mactato, tumidi Lamberto ad littora Mosæ;
Belgicos reduces, quîs nos detruserat, agros
Irruimus, mimosque iterum Deitatis honores,
Delubra & lucos, simulacra & ruris odores
Restituit dextra sacris gens Belgica nostris.
Sic postliminio nobis reuocabimus aras,
Artibus infandos paribus si tollimus hostes.
Nam dolo opus, notâ re cæde odia aspera surgant
Plebis, & artifices sceleris pellamur vbique;
Illos martyrij dicant fulgoscere ferris.
Dixerat Impietas, fluctus crudelis vt ira
Turba premit, visique modis ridere repertis.

Iam-

Iamque adeò insidias tantùm sub pectore voluunt,
Armaque tecta parant. At queis sibi nempe nocebunt
Ampliùs, & viscum vt turdi, fatale cacabunt.
Nempe Perillæo perijt suus author ab ære:
Sicque suis capitur pedicis; sic viscere condit,
Quem stringit demens aliena in vulnera ferrum.
Sic Draco dum spiris Elephantum immanibus vrgens,
Perfusum sanie perimit glaucoque veneno,
Ille hostem simul involuit sub mole ruinæ.

Deorum Gentilium siue Dæmonũ insidijs Libertus appetitus, in Dilia flumine suffocatur.

Hæc dum consilijs herboso in littore versant,
In mare quà refugis Dilia fertur aquis:
Adfuit optatas vltrò quæ promeret artes,
Tartareæ imperijs missa Megæra Deæ.
Quæ simul impellens fœcundaque pectora fraudum,
Fœtasque anguineâ calliditate comas:
Ilicet horrentem tot fudit in aëra noxas,
Aluêi quot streperas ductile vimen apes.
Fraus, dolor, ira nocens, cædes, luctusque, pauorque,
Armatique doli, terribilesque minæ,
Agmine discurrunt volucri per mœnia Mechlæ,
Libertumque citò patris in arce petunt.
Hîcque Dolus puerum voce euocat illice, ludat
Vt, vitreis luctans quà strepit vnda vadis.
Ignarus scelerum tantorum atque artis Auernæ,
It puer, it sociũm ponè secuta cohors.
Vnàque herboso ludunt in gramine ripæ,
(Nullus flumineo margine murus erat,
Nec saxis via strata; virens tulit omnia gramen:)
Huc citò at Impietas stipite nixa ruit,
Signat & ex omni limis, Ducis, agmine natum,
Huncque furor contra, corpus anile rapit.
Iamque premens medium, vicini in vorticis ima,
Illa simul lubrico sed pede lapsa, iacit.
Libertus trahit implicitam, mergendus vt omne,
Quod quicquid apprensum, sub vada cæca solet.

Quæ-

Quæque adeò puerum tendit fatalibus vndis
Obruere, vnà ipso gurgite mersa iacet.
Quam socij vt Nemesim vidêre, necemque parentis,
Fœdæ ad Persephonen auolitâre striges,
Diuersosque Dij tractus fugêre, proculque
Abscondit pauidum Dilia Scalde caput.
Ne ride figmenta: vatri nam Dæmonis astus,
Liberto dubitet quis peperisse necem?
Reddidit at vitæ, IESV dum nomine Præsul;
Nonne isto Impietas thaumate victa fuit?

Ecloga Daphnis.

Sub hoc nomine Libertum aquis extinctũ, Pastores Thyrsis, Mopsus & Corydon lamentantur.

Tityri nomine Rumoldum accipe.

Thyrs. Frangite, Pastores, calamos; incidite cannas,
Impare quas nuper numero coniunxerat Ægon,
Vix profecturo, sic dixerat ille, labore.
Non calami te, Daphni, lcues, neq; dicet arundo,
Quale sed Eurydicæ Geticis in montibus Orphêus,
Aut cecinit Dea mœsta Lino miserabile carmen,
Crudelem inclamans Phœbum, crudeliaque astra;
Daphni, tibi stipulâ & planctu dicemus inani.
Mops. Istâ, care puer, Mopsi donaris auenâ,
Infelix puer, ante diem quem Dilia mersit.
Has tibi (queis Phœbum potuêre æquare canendo,
Et possint, nisi Daphni, vetes) cum Thyrside cannas
Diffringit Corydon. Non illæ gaudia nobis,
Aut pecori posthac facient, tecum, ista tulisti.
Coryd. Non hilares siluæ, motansque cacumina fagus,
Non ridens violis & læto gramine campus,
Nec salientis aquæ retinent Corydona susurri.
Tantùm vmbras nemorum tristis, post Daphnin ademptum,
Sector, & in fragiles versas Phaëtontidas alnos,
Atque nouas oculis gemmas adiungere curo.

Hoc

Digitized by Google

Hoc vos quando iuuat, pecus omne adigamus in vnum ; *Thyrſ.*
Mopſus oues, Corydon capras, cogam ipſe iuuencos.
Proxima ſunt ſaltu, quæ ſæpe inuiſimus, antra,
Hæc propter labens lugubrè immurmurat amnis,
Taxuſque inducit ramis buſtalibus vmbram:
Daphnim merſum ibi, per ſuſpiria longa gememus;
Taxus & antra ſonos reſerent, ſuſpiria flumen.
Oblitæ ſic Daphnin oues, ſic paſcitis hœdi? *Coryd.*
Hinc aries, hinc taure, greges hinc ducite capri.
Pinguia ſunt vobis, linquendaque rura Malinæ.
Pro cythiſo, mori vepres; pro flore, myricam;
Proque thymo tribulos; lapathon pro fronde ſalicti
Carpite; conueniunt mœſtis ſic triſtia rebus.
Daphnidis inferiæ fieri ſibi talia poſcunt.
Dum petimus ſiluas, luſtret neque purior æther *Mopſ.*
Paſcua, nec ſalices riuos (nam Dilia mittit)
Gramina nec potent. Pratis abſcedite riui,
Primæque in liquidis areſcite fontibus vndæ:
Sol fugiat, folijſque ſalix caput horrida nudet.
Daphnidis inferias celebrent ſic omnia morte.
Ite boni, ſaltus ſteriles properate iuuenci; *Thyrſ.*
Ite, vt aratra iugo quando ſuſpenſa refertis,
Feſſi vbi ſub duro fumaſtis vomere & æſtu;
Vix animam trahitis, virides vix vellitis herbas.
Ite capræ, niueumque pecus, ceu per inga fœtus
Errantes, raptoſue lupo cum quæritis agris.
Talis amor Daphnis; nec ſic caper æquet & agnus.
Securi ite greges, tutos inuiſite ſaltus; *Coryd.*
Iam coluber ſpelæa tenet, neque gramine tectus
Inſidias tendit pecori, non prædo vagatur
Seu leo, ſeu tygris, rabido vel dente Lycaon.
Idem omnes nunc luctus habet, poſitæque cubili
Degeneres te, Daphni, feræ lacrymantur, & vnum
Ingeminant Daphnim: his fueras vel dignus amari.
Hei mihi, quàm vacuis ſunt muta ſilentia ſiluis! *Mopſ.*
Vt tacet omnis auis, neque Ityn luſcinia plangit!
Oppreſſit grauior, vocum diſcrimina luctus,

Com-

Composuêre Noti pennas, neque murmura fugis
Blanda cient, fera nulla quietis saltibus errat.
Sed procul ecce mihi taxus spectatur & antrum,
En piger ille lacus, Stygioque similimus amni.
Coryd. Huc igitur quando succedimus, & pecus aures
Arrigit omne tibi: nunc incipe, Thyrsi, iuuencos
Tu seruas, vinciſque duos, quàm magna, bidentum
Velligeros armenta greges; quam mora, Cupreſſi
Nubiferæ ſuperant, vel fraxinus alta geniſtas.
Et ſi voce negas raucâ fractiſque cicutis,
Et calamis fractis & raucâ voce placebis.
Thyrſ. Queſtibus ingratis, vultis ſic quando, præbo.
Sæpe ſed abrumpent ſuſpiria, ſæpe fluentes
Imbre genæ; quis enim lacrymis ſine, Daphnida dicat?
Daphni, decus ſiluæ, Paſtorum gloria Daphni,
Vbertas, ruriſque ſalus, pax, omnia Daphni.
Ver vt odoratis prodit cum molle viretis;
Fronde nouâ pubeſcit humus, blanditur & arbor,
Fœtaque Flora roſas ſeptis, violaſque fugaces
Parturit, & primæ turgent in palmite gemmæ:
Hei mihi! talis eras, agri ſic, Daphni, colonis:
Sic ſenſêre tuæ pecudes ſolatia vitæ,
Otia paſtores, tulit otia dirus arator,
Multaque cum vernis egit noua feſta quotannis.
Nam ſe, quidue boues curâ vexaſſet inani?
Vomere quid toties quid verteret arua ligone
Iam priſcum melior ſe ætas referebat in aurum,
Chriſtiadæ poſtquam noti, gens cœlica mundo,
Et pia ſe longè, Chriſto auſpice, ſacra ferebant.
Vix ſulcatus ager, denſis flauebat ariſtis,
Tollebant ruptâ Tellure, cacumina paſſim
Allia, ſerpyllum, porri, naſturcia, caules,
Et caſiæ, fruticeſque, & odori vimen Acanthi.
Quin grauidos vidi dumis pendere racemos,
Mellaque liquenti duxiſſe examina quercu.
Tunc neque vel ſegetes & culta noualia miles
Turbauit, non hoedum aliquis, vel ſuſtulit agnum,

Hinc

Hinc nos somnifera frondentis in ilicis vmbra,
Vel caput ad fontis proiecti, aut fluminis actam
Diximus ô quoties: Tauri, per prata iuuencos
Ducite, vosque Capri, quò fert, præcedite matres.
Insidias pecori non fur, non damna magistris
Bestia iam meditatur atrox; hominesq; feraeque
Pax regit, ista facit vobis bonus otia Daphnis.
Fistula tuncque mihi septem compacta cicutis,
Multisonâ sacram pangebat arundine Musam,
Et certamen erat tecum haud triuiale, Menalca.
Tuq; procax, veterum lusus & crimen, amores:
Carmina sed cecini, Scoti quæ gloria saltus
Tityrus instituit, vittâ æratoque decorus
Tityrus ille pedo, sancto qui flumine lotas
Mechliniæ modò tinxit oues sandycis amictu,
Et Superi hîc latè pecori posuêre magistrum.
Et verba & numeros ambo meminisse potestis,
Fecerat Isaides pastorum maximus, inter
Custodes ouium fortunatissimus vnus.
Tot natus, Diuine puer, noua gaudia ruri
Attuleras, & crescebant crescentibus annis:
Cuncta simul nobis, Lymphis sed perditus aufers,
Arboribus frondes, marcescunt vitibus vuæ,
Prata pruina coquit, rubigo est improba culmos,
Destituit fetura greges, neque spumea lacte
Mulctra sonat; torpor tenet omnia tristis, & idem
Daphnis amor perdit pecudes, pecudumque magistros.
Tale tuum carmen nobis, cultissime Thyrsi; *Mopſ.*
Quale ad Mæandri ripam & vada nota Caystri
Funera non aliena dolens solet edere Cygnus:
Sicque suis nemus omne replet Philomela querelis,
Exhaustam positura animam sub tempora noctis.
Fortunate senex, Panis cui fistula cedit;
Tu quoque fauste puer, cantari Thyrsidi dignus.
Pastorum quid nostra Duci par Musa reponat?
Daphnide quid dignum Mopsi vox rustica promet?
Heu tantum in Diliam cecidit scelus? ille bonorum

Inuidit pecori tantum, nemorumque colonis?
Tàm malus eripuit miseris solatia campis?
Ah crudele nimis, pubentem à palmite gemmam,
Et modò formatas ramis conuellere fruges:
Purpuream non illa comam benè panderat, istas
Solibus aprilis nondum ardens coxerat æstas.
Messis nam teneræ, duris sub passibus herbam
Quale premi, floresque Notis, lædiue pruinis;
Quale suas vitreis siccari fontibus vndas,
Et niueos à matre rapi & sine cornibus hœdos:
Tale scelus Diliæ, Daphnim mersisse sub vndis.
Ferales vndæ exitijs! ne tangite Tauri,
Et prohibete greges, ne potum ad noxia tendant
Littora, fallaci prætexit gramine ripam.

Coryd. Hæc poterant monuisse, (nisi mens pigra fuisset)
Picus & aduersa vocalis ab ilice cornix,
Et mihi nescio quæ, nocturnas visa per vmbras.
Nuper enim humentes vmbras prope flumina captans,
Lethæo victus dum pono membra sopore:
Attonitum mugire solum, spectrumque putaui
Cernere, vipereisque comis facibusque timendum
Defosso prodire specu: atque palustre volatu
Littus adire, frequens nigrorum vbi turba Satanûm
(Numina quos coluit sacris gens credula falsis)
Perque lacus Stygios & triplicis ora Dianæ,
Tityre, te letho, & iurabat perdere Daphnim.
Denus ab hoc lucem reddebat tempore Phœbus
Occidit heu Daphnis! rumor per rura vagatur,
In Dilia Daphnis vitamque animamque reliquit.
Hei mihi, quis subijt subitus præcordia torpor!
Quæ facies siluas, quæ pascua squallor & agros,
Pastoresque pecusque habuit, luctusque colonos!

Thyrs. Non vates magè certa aliàs responsa dedêre;
Vera canis, Corydon; Daphnim mersêre Satânes;
Quemqus refers, tenuit, nam vidimus, omnia languor.
Non sic triticeam grando cum plurima messem
Strauit, & hibernæ vites hausêre pruinæ,
Siluifragique nemus vertêre à stirpibus Euri:

Aut

Aut cùm mortiferæ ſerpunt contagia peſtis,
Arboribuſque lues, pecorique, ſatiſque, viriſque
Sæua nocet; vel cum peior deſæuit Enyo,
Truxque greges abigit miſcetque incendia miles,
Non ſic perculſos ſtupor & dolor obtuit agros.
Hoc Dilia, hoc igitur Manes, atque Eumenis atrox
Grande nefas? fecêre, pius quod Tityrus, imis
Numina mentitos, cum Daphnide cogeret vmbris.
Hos tamen & nunquid pepulit? Stygioque reuincti
Carcere, nulla ſibi terris altaria habebunt?
Non lucos ſteriles, non ligna imitantia Diuos?
Stellatas ſed, Daphni, domos & læta vireta
Nunc colis Elyſij nemoris, ſedeſque piorum.
Accepit complexa libens te regia cœli,
Egregia indeptum puerum per fata coronam:
Ruraque quem deflent, citò Daphnin ad æthera tollent
Laudibus Indigetem; niueo de marmore ponent
Templa tibi, feſtâ agricolæ quæ fronde quotannis
Intendent, operumque boues per prata ſoluti
Errabunt, canet vpilio, ceſſabit arator.
Sis pius o, felixque tuis, mitiſſime Daphni! *Mopſ.*
Ipſe tibi glebâ viui de ceſpitis, aram
Conſtituam primus, puroque è marmore ſignum.
Et cum lux aderit, Superos quâ, Daphni, petîſti:
Signa roſis, ſtabulique oncrabo altaria donis,
Exiguumque ſacro lumen fumabit oliuo.
Sis bonus o, felixque, aris digniſſime Daphni! *Coryd.*
Ille dies mihi feſtus erit, quo fata dedêre
Empyreas adijſſe domos: tunc cæſa capella
Pinguia deſidibus faciet conuiuia natis,
Veſteque in excultâ ſoluam ſolennia vota,
Diuorum vt reliquis, poſitâ tibi turis acerrâ.
Laudo animos, tenues vincunt nam munere vires. *Thyrſ.*
Aſt mihi quando boues viginti paſcua tondent,
Terque decem fœtæ diſtendunt vbera vaccæ;
Templum, Daphni, necis prope conſcia littora, ponam
Grande tibi, quod non ſuperauerit ardua pinus,

Digitized by Google

Non quercus Iouis, aut abies, non fraxinus ingens.
Hîcque aras ſtatuam, atque aris hæc carmina ſcribam:
Daphnis ruris honos, pietate ad ſidera vectus;
O bonus, vt ſemper, depulſet damna iuuencis.
Mopſ. Fortunate puer, longo celebraberis æuo;
Dumque Lyciſca lupum, lupus aut terrebit ouile;
Dum thyma carpet apis, lenti dum gramina tauri;
Daphnim rura, ferent Daphnim ſuper æthera ſiluæ.
Thyrſ Ite igitur pecudes, ſerus iam veſper Olympo
Irruit, ite domum; cras gramen, vt antè, metetis.
Non obijt Daphnis, terras pertæſus abiuit.
Ille pedum ſceptris mutauit, nectare fontes,
Paſcua ſideribus, roſeiſque cubilibus vmbras.
Ite greges, pedibus veſter premit æthera Daphnis.

S. Libertus aquis extinctus, ac fruſtrà triduo quæſitus à S. Rumoldo orante in vitam revocatur.

Nauta, vadis madidos ſurgentibus eripe contos;
Flumine neu fruſtrà mergite membra, Viri.
Alterno toties refugus Tyla creuit ab æſtu,
Nec vacuo toties viſus in amne puer.
Nequidquam tantumque artis, viditque laboris
Perdere iam propero tertius Heſper equo.
Ferrataſque manus, agileſque educite remos:
Fruſtrà Vrinator, gurgitis ima petis.
En prudens magè Typhi, magis te, Glauce, magiſter
Littora vicino rure Rumoldus adit.
Hic veniens, oculos dextraſque ad ſidera tendit:
Quærit ibi, hoc puerum conſcius eſſe loco.
Vncum & eo bifidum, (ille ſpei fuit anchora) torquet,
Empyrei ſcrutans quæque profunda poli.
Scilicet his Infans fuerat quærendus in oris,
Parte fuit vectus quò meliore ſui.
Quam mordace, potens Oratio, dente repertam
Ad Diliæ fluctus Anchora ſacra rapit.
Pergit & ingeminat IESV ter nomina Præſul:
Irrita num I E S V S tam pia vota ſinat?

O ſtupor

O ſtupor! In gelidos fatis immitibus artus,
Corporeumque redit mens fugitiua larem.
En ſimul, in medio Libertus gurgite paret;
Libertum decies ripa canora ſonat.
Ecce per obſtantes adverſi fluminis vndas
Non ope vectoris, non ratis, vrget iter.
Ecce per informem limum ſe ſiſtit in vlua,
Veſtis nec fluuio, nec madet vda luto.
Hîc quot ô admiror refugo noua monſtra fluento!
Hic quis Præſul? erit quis puer iſte, putas? *Luc. 1.*

Miraculum Liberti à S. Rumoldo ſuſcitati, cum pluribus antiquis in Scriptura deſcriptis comparatur.

Dilectus Deo & hominibus Rumoldus, cuius memoria in benedictione eſt. Similem illum fecit in gloria Sanctorum. &c. *Eccli. 45.*

Temporibus quondam Iſacidûm miracla peracta,
Cernere nunc iterum qui repetita cupis:
Huc ades; ad Diliæ vario incita littora fluctu,
Inſtaurata ferè cuncta videre potes.
Hîc, qui Præſul agit, qui thaumata ſuſcipit Infans,
Orcheſtræ veluti ſcena recluſa dabit.
Scirpeâ an Amramidem miraris crate per vndas
Seruatum? Iuncis hîc ſine, maius habes. *Exod. 2.*
Abramidæ per Erythræi rubra marmora Ponti
Iuêre haud madidis paſſibus? hoc & habes. *Cap. 14.*
Vates hoſpitibus natos potuêre ſub auras
Reddere vitales? Nil minus hîc & habes. *3. Reg 17.*
Illapſum ferrum ſpumantibus exijt vndis *4. Reg. 4.*
Saphatidæ ad iuſſus? hîc quoque maius habes.
Treſne Ionas ſoles in ceti ventre ſepultus,
Ripis incolumis redditus? hoc & habes. *Cap. 6.*
Viſne Semiramiâ fornax quæ ſenſit in aulâ
Monſtra, laboranti ludicra facta rogo? *Dan. 3.*
Nec læſit pueris innoxia flamma capillum,
Nec pueri hîc fluidis humida veſtis aquis. *Ion. 1.*

Digitized by Google

Deniqúe mira ferè priſco quæcumqúe ſub æuo:
Hîc velut in tabula reddita & aucta vides.
Mirariſne operum tantum? taliſue Rumoldum
Spectacli artificem, laude per aſtra vehis?
Virtus magna viro: vis hæc tamen altior edit:
Nempe quod Antiſtes terqúe quaterqúe vocat,
IESV cuncta facit nomen, ſola, Pontus & aſtra,
Seqúe cui rerum machina tota quatit.

S. Rumoldi Libertum bis vitâ donantis, cum Eliſeo ſingularis comparatio.

4. Reg. c. 4. Gentis Eliſeus Sunamitidis arua frequentans,
Reddidit acceptæ præmia magna caſæ:
Optatæ cum prolis egens diu femina, natum
Ventre graui ſubitò, Vate precante, tulit.
Quem quoqúe pòſt, rapidus dum ſol flammantibus vrit
Æſtibus, & morbi vis inopina necat:
Reſtituit ſuperi reuocatum ad luminis auras;
Et potuit triplicis rumpere iura Deæ.
Saphatidæ, Malina, noui plaude hoſpita Tellus:
Namqúe tua haud impar aduena tecta ſubît.
En procul Hibernis veniens Rumoldus ab oris,
Te mercede pari donat, honore pari.
Obtinet ille Duci Natum, fluuioqúe voraci
Hauſtum, iterum in vitæ limina nota vocat.
Reddidit hîc fluctu, Phœbi ille calore necatum;
Par igitur num vis, & vir vterque fuit?
Par pietas virtuſque viris, quæ ſumma volûcri,
Vulnere bis fœtus quæ generare ſolet.

Miraculi huius Suſcitationis Liberti modus expenditur & comparatur.

Et ſurrexit Elias propheta, quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat. Et quis poteſt ſimiliter ſic gloriari tibi? Qui ſuſtuliſti mortuum
Eccl. 48. *ab inferis de ſorte mortis in verbo Domini Dei. In Eliſeo completus eſt ſpiritus eius. In vita ſua fecit monſtra. &c.*

Quan-

Digitized by Google

Quantus Eliſeo labor eſt, & quantus Eliæ,
Fatorum violaſſe colos! Vix partubus vlla
Sollicitos magè perpetitur matrona dolores.
Ille iubet famulum, firmat quo ſtipite greſſus,
Per tacitum perferre itiner, gelidiſque reponi
Artubus infantis: nec tot myſteria proſunt.
Subſequitur vates, oratque & frigida membra
Calfacit incumbens; os ore, manuſque lacertis
Metitur, pedibuſque pedes contractus, vt olim
Mortua rex Tuſcus viuis iunxiſſe refertur
Corpora: nondum animus remeat dilapſus, in artus.
Æſtuat, abſcedit, tacituſque perambulat ædes,
Regreditur, pueroque ſuper, velut antè, recumbit.
Oſcitat at tandem rediuiuus, & arcta ſopore
Lumina Lethæo reſerat, ſurgitque cubili.
Hoſpitis hocque modo, Theſbitæ reddere natum
Fas vitæ fuit, vt corpus ter corpore preſſit.
(Hunc aliqui dixêre Ionam, piſtricis in aluo
Tres qui deinde dies, demùm oræ redditus, egit.)
Tantæ his, exanimos, molis reuocaſſe ſub auras.
Tamnè tibi, Rumolde, leue eſt? tantumne, Prophetas
Et meritis & mira præis virtute gerendi?
Vix vada pone venis, genibus vix littore flexis
Poſcis Cœlicolas, exoras penſa ſororum.
Quidquid id eſt, non falſa mihi ſors cauſa reperta eſt:
Fatiferæ, nam cerno, modis melioribus artes
Auſpicijſque moues; non ſtipitis, aut ope terni
Incubitus, calidiue affusâ flaminis aurâ:
Ter ſupplex IESVM ingeminas, nec plura; quid vltrà
Addere nam poſsis? geminis plus vatibus vnus
Iſte *Propheta potens opere & ſermone*, patrabit. *Luc. 24.*
Reſtituet vitale iubar citiùſque calorem
Sol Chriſtus, paruâ centum quam lampade Lychni.

Problema Poëticum.

An D. Libertus verè extinctus fuerit?

Quidlibet audendi ius ſi fuit vſque Poëtis;
Faſque his, ambiguo promere certa modo:

Vndâ

Vndâ an lethiferâ mersus, Liberte, fuisti?
Haud dubiæ, dubium pono problema rei.
Vtque in turba hominem, Cynicus de luce, lucernâ:
Sic mediâ lucem quærere luce puter.
Gurgite nam dum te properare ad iussa Rumoldi,
Vdam nec liquido flumine cerno togam:
Instar an Amathidæ, Ceti sis abditus aluo,
Iona.1. A fidoque iterum redditus amne, soló?
Aut magnus veluti Paulus, noctesque diesque
2. Cor.11. Nauifrago passus tristia nulla salo?
Raptus Arionio procul an Delphine per vndas,
Quod potuêre fides, hoc tibi dante fide?
Ambigo, nec soluo. Namque hîc Dialecticus, vnum
Te præter, nemo sat bonus esse queat.
Ioan.5. Hoc scio, Filî hominis voces & iussa, sepulti;
Matth.8. Atque audire Noti, stagna valentque maris:
Cuius verba capis dum Præsulis ore sub amni,
Fluctisoni viuum te stupet ora lacus.
Sis igitur, non sis mersus; redijsse fluento, aut
A nece, post ternum, par mihi thauma, diem.

De mora tridui, quo Libertus in fluuio mansit.

Funereis puerum cum Dilia mergeret vndis,
Machliniâ heu! absens vrbe Rumoldus erat.
Qualis enim, cui ouis centesima perdita, pastor
Per iuga, per valles, rura per aspra volat:
Sic colit æthereis Agrestûm pectora sacris;
Fanaque cum lucis, signaque muta premit.
Aut certè alloquijs notis ad littora Nethæ,
(Nunc vbi firma Liræ mœnia cingit aquis,)
Gummari Ducis hospes erat: sermoneque multo
Tempus, dum trahitur fabula sacra, breue est.
Fama illi huc primùm rapidis celer aduolat alis,
Amnequc Libertum fata subîsse refert.
Illacrymat, tacitusque trahit suspiria Præsul,
Fatidicoque velut pectore motus abit.
Tertius Oceano properat se tingere Titan
Post pueri casus, cum vada mœsta tenet.

Infre-

Digitized by Google

Infremit hîc animis, lacrymisque impletur obortis.
Et tua ter, IESV, nomina voce sonans,
Numina deposcit. Mora nulla, Antistitis vrgent
Astra preces, Parcis redditur hausta colus.
Supplicis ad voces, metuendaque nomina IESV,
Exit aquis, solido littora calle petit:
Vt nuper solitus Iani percurrere mense
Flumina, cum rigido pigra fuêre gelu.
Gestorum hæc series, at quæ dum mente voluto;
Momentis Superûm visa referta mihi.
Noluit esse etiam Christus morientis amici Ioan 11.
Præsto neci, at terno ducere sole moras,
Dum tegeretur humo, quartâ dum luce mephitim
Ad vaga funereus spargeret astra putor.
Nec siluit causas; virtus vt nota Parentis,
Blasphemisque fides omnis adempta foret.
Noluit & Præsul, Superûm at magè certa voluntas,
Ne Mechlam, puero sic pereunte, colat.
Hi neque enim fuerant ad fata perennia casus,
Cœlica sed virtus quò magè clara micet:
Certaque prodigij quò surgat opinio cunctis;
Et fidei, impietas cedat auita, nouæ.

Epigramma in Libertum submersum.

Abijciens tumidum se Glaucus Achæus in æquor,
Euboici rector creditus ille freti est.
Quin magè Libertus regredi potis integer vndis,
Glaucus dicatur, Dilia glauce, tuus?
Sic age, pro vanis tot Diuûm, hunc percole monstris;
Cuius vita tuas, morsque sacrauit aquas.
Qui, sacris dum fœda forent tua stagna profanis,
Quò iam pura sient, victima mersa fuit.

Epigr. in Libertum submersum.

Crinibus it laceris, & tunso pectore mater,
Et fuit in lacrymis mersus, vt amne puer.

Digitized by Google

Præstoque iam, Pharijs moles stetit æmula saxis;
A patre, Liberti quo celebrandus amor.
Huic ego dum mœstum quæro superaddere carmen,
Res mihi facta diu, fortè reperta bene est.
Liberti nam olim laudes præcoxque sepulchrum,
Bilbilici cecinit fama, Poëta Tagi.
Sic decuit, Parcæ facinus tam flebile plangi
Siue Cygne, ore tuo, seu Philomela, tuo.

Epitaphium Glauciæ Liberti apud Martialem, mutatis paucis Liberto nostro positum.

Lib. 6. epig 28.

Libertus Ducis inclyti ille natus,
Totâ qui cecidit dolente Mechlâ,
Cari deliciæ breues parentis,
Hæc ad marmora, Diliæ est humatus
Heu! sub fluctibus, indigens sepulchro.
Castus moribus, integer pudore,
Velox ingenio, decore felix.
Octenis modò messibus peractis
Vix vnum puer applicabat annum.
Qui fles talia, nil fleas, viator.

Epigr. in Libertum suscitatum.

Extinctum potuit medicis Epidaurius herbis
Hippolytum, in vitæ restituisse iubar.
Virbius hinc dictus: sed tu magè, nonne Rumoldi es,
Liberte, archiatri Virbius Hippolytus?

Dilia de Liberto rediuiuo gloriatur.

Non mihi se Nereûs, vel præferat Amphitrite;
Spumea quod genuit Cyprida, Lympha sali.
Virgineum incestâ meliùs Cythereide partum,
Libertum fluuij protulit vnda mei.

Aliud.

Quæ tua laus, Tiberîne, sinu seruasse gemellos

Æternæ

Æternæ auctores Vrbis; par noſtra, Rumoldo
Libertum ad placidi ripas retuliſſe fluenti:
Ambo qui æternam meliùs pietate Malinam,
Et ſtruxêre fide; quam qui ſeptemplicis olim
Auſoniæ primis vallarunt mœnibus arces,
Romulus vt Mechelæ ſanctæ, queat eſſe Rumoldus;
Libertuſque, Remus: meliùs ſed pacis amantes,
Vrbem qui parili curâ, imperioque gubernent.

Libertus ex vitæ, quam incurrit, iactura, rerum labilium vanitatem diſcit, & abdicare deliberat.

Verba Eccleſiaſtæ filij Dauid, Regis Hieruſalem. Vanitas vanitatum, Eccl 1.
dixit Eccleſiaſtes, vanitas vanitatum & omnia vanitas.

Ingenium mala ſæpe mouent; ſortiſque nouercæ,
Blandi quàm vultus, vtilis ira magis.
Occæcat, queis cæca fauet; volucriſque rotatu
Saxi, vnà in præceps & vada prona rapit.
Irruit aſt cum inſana, redit mens mentis egenis;
Expertuſque, magis poſt ſua damna cauet.
Sic auri ſatiem multo Mida cepit ab auro,
Sic ſapere adverſis & didicêre Phryges,
At ſerò: citò Libertus, revocatus ad auras
Qui ſuperas, rapidis cum perijſſet aquis:
Cuncta hominum quàm ſint fragili nutantia filo,
Vidit, & vt ſtabilem nil gerit orbe fidem.
Vitamque inprimis, lubrico pede merſus, in vndis
Quam ſemel amiſit, credidit eſſe leuem.
Ergò inſit, mihi fluxa vale, vale ſcenica larua
Vita mihi, vitreo ludicra bulla mari.
Vita fugax, Zephyris & fulminis ocyor alis,
Ocyor vndiſonum naue ſecante fretum.
Sic roſa ſe pandit, Phœbi dum prænia tæda
Emicat, & moriens ſole cadente, cadit.
Quæ fallace homines ſtolidè mirantur in orbe,
Et ſibi firma vouent; quàm citò verſa iacent!
Purpura, Erythræis ardens diadema pyropis,
Faſces, ſceptra Ducum, ſtemmata, luxus, opes,

Heſ-

Digitized by Google

Hesperidum fruges, violis ridentia Tempe,
Arces & Pariæ, tecta superba, domus,
Somnia sunt tantùm, atque ægræ deliria mentis;
Infidæ spolium sortis, inane, nihil.
Tetrica iamque mihi tulerunt fastidia, dixit;
Sardoisque magis desipuêre scyphis.
Sic ille. Anne stupes quàm sors mala, docta magistra est,
Quæ iuuenem, tantum mox dedit esse Sophum?

De vita Philosophorum iudicium. Epigr.

Defles, Scote, hominem; rides, Democrite; Timon
Odit, & Hegesias quærere fata iubet.
Disparis affectus ratio tamen omnibus vna est,
Vita per innumeras præcipitata vices.
Nam quid homo? leuis aura, ferunt: spumantis aheni
Igne fit vnda, vapor; fit vapor ille, nihil.
Ecquid homo? puluis, rapido quem turbine versat
Cumque Euris Aquilo, cum Zephyrisque Notus.
Ecquid homo? trochus, assiduo cui verbere plagas
Sors facit, & damnis per sola prona rotat.
Hinc vt apis mel flore legit, mala virus Arachne;
Bini odêre Sophi, ridet hic, ille dolet.
Omnibus at melior Libertus, temnere cuncta
Doctus; & ad vitam cui nisi vita, via est.

Aliud ex Romuli symbolo.

Cuspide fasciculus fœni suspensus ab altâ,
Martigenæ fuerat tessera nota Ducis.
Tam citò vita fugit, quàm mollibus herbula pratis
Languet, & exspirat solis adusta face.

Libertus iuuenis, in biuio velut vitæ consistens, virtutis viam constanti proposito arripit.

Lætare iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum. Ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & scito quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. Adolescentia enim & voluptas vana sunt. Eccl. 11.

Credidit Italicus vitæ hanc sophus esse figuram,
Attica vt est bifidis littera secta vijs.

Ac

Ac dextrâ egregiæ cliuum virtutis, inerſque
Limen in aduerſa parte patêre vitî.
Hîc vbi lanigerâ, quotquot puerilibus annis
Egreſſos ſignat pube iuuenta genas:
Ancipites Labyrinthæo diſcrimine ſiſtit,
Nympha quoque ambiguum quod magè bina facit.
Illice quos etenim cultu formâque decentes,
Alcides quondam viderat in biuio;
Hinc Virtus animoſa rubos, perque arcta viarum,
Incitat ad lauros & iuga fœta roſis.
At ſtibio depicta ſinus maleſuada Voluptas,
Tyrrhenæ volucris cui data turba comes;
Mollia purpureis prætexit limina ſertis,
Luteoliſque ſerit lilia mixta crocis.
Verùm præcipites immani è culmine rupis,
Deductos eadem ſcabra per antra rotat.
Hâc igitur ſimul, vt Libertum ambage viarûm
Conſtituit dubio Dia iuuenta pede:
Firmato ille ſtatim luxumque nefaſque peroſus
Pectore, virtutis per loca ſenta ruit.
Quaque triumphales ſurgebant præmia, palmæ;
Dixeris Alciden monſtra per ire nouum.

Epigramma in idem vitæ biuium.

Millia, lata via eſt; itur quâ Ditis ad vmbras:
Æther quâ petitur, vix via lata pedem.
Quid mirum? quando partem ruit orbis in vnam:
Qui terit anguſtum, rarus is hoſpes, iter.
Eſt via decliuis, quæ fert ad Tartara: cœli
Ardua, deſidibus nec ſuperanda viris.
Quid mirum, placeant cum luxus & otia; ſæuæ
Victima Perſephonæ tam numeroſa cadat?

Aliud.

Quis ſtupor, aut quæ corda, Viri, turbauit Erynnis?
Non pudor eſt ſtolidis, turpia bruta ſequi.
Si balans præit, omne ſubit pecus æquora præceps:
Poſtque ducem perdix retia tenſa cupit.

Sic

Matth. 8. Sic infame fretis quondam simul irruit agmen,
At quibus hospitibus, queis ducibusque, patet.

Libertus sapientiùs, quàm Philosophi, mundi vanitatem spernit, vt IESVM sequatur.

S. *Hieron. lib. 3. in Matth. cap. 19.* *Grandis fiducia: Petrus piscator erat, dives non fuerat, & tamen loquitur confidenter, Reliquimus omnia. Et quia non sufficit tantùm relinquere (hoc enim & Crates fecit Philosophus) ideò iungit quod perfectum est: Et secuti sumus te. Quod propriè Apostolorum est atque credentium.*

Quò sophiæ scrutêre, Crates, magis abdita; pondus
Auri ingens auidi mittis in ima sali.
Regisque Æmathij Cynicus contemnit honores;
Cui satis, apricam voluere vase domum.
Insilit Empedocles ardentem frigidus Æthnam,
Astra Gygantæis nisus adire iugis.
Et rerum vt tacitus possit dignoscere causas,
Democritus cæcâ lumina fronte necat.
Denique Anaxagoras patriâ vltrò extorris, in alto
Quærere se dicit tecta paterna polo.
Vsqueadeóne crepas sophon illud? Desine, namque
Barbatis, iuuenis plus glaber, hisce sapit.
Linea quæque in eis vanæ est suprema sophiæ;
Vix color hîc fuerit primus, & vmbra rudis.
Fastu alio fastum pressêre; alijsque relictis,
Hos magè dira, sui, pestis, habebat amor.
Tu, Liberte, secus; postquam pede labile seclum
Proteris; haud istîc fers mala damna moræ:
At quod perfectum est, sequeris comes ales IESVM:
Post Iesumque, cruces, per salebrasque ruis.

Epigramma.

Quàm portare iugum bene primâ ætate iuuencus,
Quàm sonipes discit lora luposque pati!
Hoc Lacedæmonios catuli docuêre Lycurgi,
Quos simul effusos vbera matris alunt:

Ast

Aſt herus vt ſollers ſtudia in contraria mittit,
Accubat hic ollis; incubat ille feris.
Sic bene quàm tenero aſſueſcis virtutibus æuo,
Et Chriſti inclinas ſub iuga, colla Puer.

Aliud in Chriſti amorem.

Si tibi corde Themis, Pythoque ſit aurea labris,
Æmulus æhereæ ſi tibi Mentis apex;
Omnia ſi noſti, tua ſi largiris egenis, 1. Cor. 13.
Milleque ſubijcias membra premenda rotis:
Si reſono Siculi torqueberis igne tyranni,
Si vel Anaxarchi fractus in ære gemes:
Nil facies, Chriſti ſi deſtituaris amore;
Priuus, eo vacuis vſque redundat amor.

Libertus ne naufragium peius à ſeculo patiatur, iſtud fugit, & in Vlmeto, Clericis in cœtu ſub Rumoldo Præſide viuentibus aſcribitur.

Eſt autem quæſtus magnus Pietas cum ſufficientia. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Nam qui volunt 1. Tim. 6.
diuites fieri, incidunt in deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.

Fluctibus vndiſoni Nerei iactatus Vlyſſes,
Nauifragis fuerat iam periturus aquis: Ex Odyſſ. Hom. E.
Pallia, Leucotheæ monitu, niſi dona Calypſûs, Et Ouid. 3. de Ponto. Eleg 6.
Turbine miſiſſet per freta ſæua rapi.
Tunc etenim, quam Nympha dedit, ſibi pectora vittâ
Cingens, Corycij littora verna ſoli,
Phæacumque hortos biferos, celerique natatu
Diuitis Alcinoi rura beata ſubît.
Non hæc, Mœonidæ vatis mendacia crede;
Scripta Sibyllinâ ſed magè fata manu.
Namque ſalum feruens, Vita eſt; creberque per illud
Naufragus, eſt quiſquis pondere onuſtus opum.
Quem veluti medijs ſpumantis in æquoris vndis
Effuſum, radians gaza, ſub ima trahit;

Digitized by Google

Ni properè catus abijciat, ſed rarus Vlyſſes,
Qui fatale velit ponere, rarus, onus.
Ecce virûm tamen è multis tibi millibus vnus,
Sic qui perdat opes, deliciaſque puer.
Si perdit tamen; haud Ithaci qui more, profundo
Naufragij reicit certa pericla mari:
Lænas ſed Tyrias, auroque rigentia texta
Diuidit aut miſeris, Cœlitibuſue dicat,
Inque ſolubilibus nectens ſua pectora Chriſto
Vinclis (hæc fuerant Numinis almus amor)
Vlmetum, quo non melior Corcyra, nec æquè
Protogenûm Tempe fauſta fuêre, venit.
Hîc vbi tot lætus mundi euaſiſſe procellas,
Anchoram in optatâ ceu ſtatione iacit.

Epigramma.

Pallia Siſyphides pelago, formoſus Ioſeph
Gen. 39. Inceſtæ ſpolium pallia liquit heræ.
Hæc contempta, ſitu pœniſque vlciſcitur iras,
Sed citò grande decus pædor & vmbra ferunt.
Talis Libertus, tales quos crimina vitæ
Exoſos, ſcelerum neſcia clauſtra tegunt.
Nec modio gencroſa diu latet abdita virtus,
Emicat, & famâ celſa per aſtra volat.

In antiquum Cleri ſimul in cœtu viuentis inſtitutum, quod Libertus ſub Rumoldi auſpicijs capeſſiuit.

Pſal. 67. *Si dormiatis inter medios cleros; penna columbæ deargentatæ, & poſteriora eius in pallore auri.*

Aurea Saturno perhibent ſub rege fuiſſe
Secula, cum ſiluis homines & montibus altis
Aſſueti, coïëre æternæ fœdere pacis,
Moribus & blandi innocuis, quos vindice nullo,
Sponte ſuâ & magno colerent virtutis amore.
Nam neque in ære minæ, neque ſcriptæ à iudice pœnæ,

Vrgebat

Vrgebatue metus, vel probrum abſiſtere turpi;
Sed ſibi cauſa fuit, pretiumque, & præmia, Rectum.
Non illi audierant feralè acuentia pugnas
Claſſica, uon clamore forum aut reſonare querelis,
Nec bilis memores accendere nouerat iras.
Materies aberat, proprium quòd nullus habebat.
Vtque auræ frigentis, aquæ communis & vſus
Phœbæique ignis: rerum ſic vltima Tellus
Vomeris immunis, duroque intacta ligoni
Omnibus expoſitas meſſes & dona ferebat.
Nec ſignare ſolum, partiri aut limite ducto
Fas fuit; in medium campis quærenda petebant
Arbuteos fœtus, farque & flauentia mella.
Talis erat quondam Cleri quoque purior ætas,
Cum cœtus tenuêre viros, atque omnibus idem
Victus, & arbitrio veſtis conceſſa Magiſtri.
Illis vna domus, templi vt conſortia tecta,
Cenſus idemque penu, ſed mens magis omnibus vna,
Quos Chriſti iungebat amor, nec ſubdola virtus.
Saturni hìc ſimilis Præſul ſacra regna tenebat,
Præpoſituſque vices geſsit, minor inde Decanus.
Ille (ſacrum velut Amramides caput vnguine merſus,
Perque pilos menti, & cano protecta capillo *Pſal. 132.*
Tempora, punicææ diffudit ad alta poderis)
Dulciùs halantis vitæ ſpargebat odorem,
Afflabatque animos, Diuini Pneumatis aurâ.
Hinc inter medius ſi quis ſtetit, ilicet hoſpes
Dixit; ibi innocuæ ſpeciem renitere Columbæ:
Qualis in argenti ſeclis, auriue prioris,
Verſicolor plumas iactauit vtroque metallo.
Nec ſecus argenti, vel gemmea luſtra fuiſſe.
Ferrea at his patribus pridem ſucceſſerat ætas;
Degener heu quantum primi melioribus æui
Moribus! hi tantùm Chriſti non pallia ſorte
Partiti, inſutam aſt auido quoque forice veſtem
Diuide re audaces, partem ſibi quiſque tulêre.
Durat adhuc nimio modus haud dammabilis vſu,

Tempus quem probat, inuexit longæua vetuſtas.
At pauci, quos priſca iuuat virtuſque, rigorque,
Et contemptus opum, pulchris gens ſtrenua curis,
Hocque ardens, terris Dominus quem immiſerat, ignis,
Ad veteres, iterum Cleri vocat agmina, cœtus,
Incenditque Pharon portûs ad tuta ferentem:
Quâ benè Rumoldus puppim ſtatione locauit,
Libertuſque patris veſtigia paſſibus æquans,
Innumerique potens quos ſcripſit in æthere virtus.
Tantæ molis at eſt, de ferro ad ſecla redire
Aurea, & antiquum morum inſtaurare tenorem.
Furtiuus, communis aquæ faſtidia præbet
Riuus, & haud vero Libertas nomine fallit.

Epigr. in Cleri nomen.

Num. 18. Haud nemus arboreum, non agri iugera culti
Leuigenas voluit iure tenere Deus.
Sors ego ſum Myſtis, inquit; quæ plurima Croeſo,
Et cupido poſſit plus ſatis eſſe Midæ.
His ta nen (in terram nimiùm quòd curua propago)
Fœnebris haud vetuit lucra profana doli.
Non ita nunc viles ardere cupidine Myſtas;
Auri, vel patitur, ſollicitudo premat.
Sors Domini, Clerus; Clero Dominuſque viciſſim;
Omnia: ſe tribuit, vendicat ipſe ſibi.
O Phinæa fames, pertuſaque Belidis vrna,
Tantum ſi nequeat te ſaturare boni!
Glande quid, & fagis iterùm malè vertis ariſtas?
Quid pigra, poſt fontis, ſtagna requiris, aquam?

Aliud.

Simplicitas dum prima fuit, gens aurea quondam
Presbyterûm, luteos incoluere lares.
Ex Inno. Pontif. & S Bernardo. Teſtea & è fago, Celèi tenuiſque lupellex;
Ære pedum, villo mitra, vitroque calix.
Pauperies fuit: aſt auri nunc plurimus vſus,
Iactat & Eoas ſyntheſis omnis opes.

Dicite

Dicite Pontifices, in freno quid facit aurum?
Calcar an obrizum fortiùs vrget equum? *Perf.*

In locum cui Vlmeti nomen, vbi Libertus seculari abdicatâ, Ecclesiasticæ & perfectæ vitæ propositum arripit.

Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes. Ponam in deserto abietem, Vlmum & buxum simul: vt videant & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc, & Sanctus Israel creauit illud. *Isa. 41.*

Quàm benè, quas mundo profugus Libertus adiuit,
Arboribus sedes nomina ducta tenent!
Nam multi, hîc buxi virides; abiesque, Rumoldus;
Libertus proprijs moribus vlmus erat.
Illa quidem vuiferæ semper gratissima viti:
Connubijque velut fœdera certa colunt.
Vlmum pampineis stringit sibi vinea ramis,
Fitque magè amplexu deliciante ferax.
Vitis, Christus erat; Libertus at vlmus, amico *Ioan. 15.*
Illius à nexu succum animamque trahens.
Vinea nec patulâ sic brachia figit in vlmo,
Christum vt Liberti pectore dulcis amor.
Viuebat, non ipse modò, sed Christus in illo;
Liberti vitis vitaque, Christus erat.
Denique purpureis foret vlmus onusta quod vuis,
Nectaris effusi flumina cæde, docent.
Nectaris, æthereæ nullum quo gratius aulæ:
Ambrosij præ quo displicuêre scyphi.
Pulchrè igitur sedes Vlmetum dicitur, vlmus
Talis vbi viti consociata fuit;
Et grauidata botris, quorum cœlestia dona,
Empyrei mensâ digna fuêre Patris.

Epigr. in Vlmetum.

Qui deducta tenet Libertus nomina Baccho;
Vlmetum lepidè, Bacchica regna colit.

Digitized by Google

Tale sed hoc fac, Libertus cui vinitor, Vlmi
Vite graues, Animæ; Vitea, Christus erat.

Aliud.

Apta maritandis ideò magè vitibus vlmus,
Ardua quòd rarâ brachia fronde tegat.
Tali nudus opum, nudus Libertus honorum,
Ferre suam Vitem debuit Vlmus agro.

Columel.

Libertus in Vlmeti palæstra ad omne virtutis opus exercetur.

Nescitis, quod ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? sic curríte, vt comprehendatis.

1. Cor. 9.

Gymnastæ armisoni, iuuenum cùm membra palæstrâ
Multiplicis pugnæ, cura laborque colit,
Non illis pila, vel celeri trochus orbe rotatur,
Prodigit aut modicas alea iacta nuces:
Martis at in ludo, trepidâque exercet arenâ;
Palladio ac primùm terga liquore madent.
Tum ligat ad cæstus resonantia vellera, dextras:
Vincere vel cursu flabra Boræa iubet,
Conserit aut luctæ pugnantia brachia nexu,
Missilis aut ferri discus ad astra volat.
Talis agonotheres, Vlmeti in gymnade Præsul,
Pancratio aptabat sed meliore gregem:
Libertum ante alios, ardens cui feruor, honoro
Virtutis stadio ferre perenne decus.
Nudum igitur gazis, sacri oliuo & Pneumatis vnctum,
Luctâ vult primùm sternere turpe nefas.
Tum rapido, scelerum foueas euincere saltu,
Æraque fulmineæ crebra vibrare precis.
Ac pugno, cæstuque agilem contundere carnem,
Quæ quondam Entelli, crudaque bella Daris.
Denique & Astricolûm scelerem magè currere iussa,
Turbineâ Oenomaï quàm cita plaustra rotâ.

Cura

Cura hæc Athlothetæ, pugilis labor iſte; Magiſtro
Quêis citò par, factus Gymnaſiarcha fuit.

Pugnæ ſpiritalis modus. Epigr.

Terrigena Antæus valido non ceſſerat Hercli,
Dum tetigit matris ſæpe labando ſinum.
Vires Terra dabit. Cum ſuſtulit altiùs hoſtis,
Diriguêre pigro frigida membra gelu;
Terræ homo, ratio quæ ſit, petis, optima pugnæ?
Ortus ſi fueris, interitûſque memor.
Vinceris, altè animum ſi gloria tollit; humoque
Oſcula ſi figes, æthere Conſul eris.

Libertus à S. Rumoldo, rerum Cœleſtium Theoriâ inſtituitur.

Invenit eum in terra deſerta: circumduxit eum & docuit: & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui. Sicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis. Deuter. 32

Quis iuuenis rapido aſtra petit per inane volatu?
Priamidemne magis, Dædalidenue putem?
Namque & pernici librat veſtigia plumâ;
Et ſimul hunc præpes tollit in alta, Iouis.
Neuter at eſt: neque enim Troi fuit ala miniſtro,
Alaque Phœbæâ non liquet iſta face.
Libertum agnoſco, paribus qui ſidera pennis,
Æthereæque aquilæ tergore vectus, adit.
Quæ pennæ? nitor hinc mentis, vigor entheus inde;
Celſa, Theorie queis celer aſtra ſubit.
Rimaturque arcana Dei, cœlumque pererrans
Senſibus humanis non adeunda capit.
Aſt volucris valido prenſum quæ ſuſtinet vngui?
Rumoldum illius crede per alta Ducem;
Vectorem aut potiùs: neque enim ſat Dædalus eſſet,
Ambiguos curſus qui per inane regat.

Digitized by Google

Insuetum per iter, nato comes aëra carpsit;
Nec minùs exitijs Icaron vnda tulit.
Fulmineus meliùs sua pignora subuehit ales,
Seque, superuolitans condere nube docet.
Iamque Notis audent se credere, matris in alis;
Corpore sollicitam iam titubante sequi.
Curâ ita & exemplo, Libertus ad astra, Rumoldi,
Euolat; hucque animis ire, redire facit,
Perpete discipulum moderans ope, flebile nomen
Ne nouus Icarijs Icarus addat aquis.

Epigramma.

Adspicis, vt properis Libertus concitus alis,
Astra solumque inter, se per inane rapit?
Iustorum hæc statio, Iobus suspendia dicit,
Quamdudum vitæ tædia longa ferunt.
Liquerunt terras, nec adhuc patet arduus æther:
At desiderijs, huc studijsque volant.

S. Libertus in Vlmero, virtutum Paradisus efficitur.

Isa. 58. *Requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & eris quasi hortus irriguus & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.*

Hesperidumne cupis flauentia visere Tempe,
Pictis fœta rosis, lætaque fontis aquis?
En, cui Atlantiadum cedit geniale viretum,
Quæque sonans Peneûs Daphnica rura secat.
Pinguis Achæmenijs non sic Saba messibus halat,
Non Pæstum, rutilis verna vel Hybla crocis.
Non Arabum, aut horti Cilicum, non mollis Hymettus,
Memphis & hibernis ambitiosa satis.
Tantus veris honos, huius sic gratia Floræ,
Sic benè cœlifluæ fonte rigatur aquæ.
Nempe hic est Liberti animus, quem Gratia Nymphis
Rorat, & æterni floris honore serit.
Pallido vbi violas vincunt ieiunia vultu;
Irida, venturi Iudicis axe metus:

Phœ-

Phœbiſe quæ, mens fixa Deo, ſolia aurea Calthæ
Narciſſos niueos, lilia cana pudor.
Spes amaranthæis vbi certat viuida ſertis,
Reginiſque roſis æmulus ardet amor.
Attonito intendis, video, ver nobile vultu:
Illicibuſque comis te facer vrit odor.
Pollice ſidereos aude decerpere fetus:
Namque polo creſcunt, donaque pulchra ſolo.
Et calathos, impleque ſinus: quin axe fluenta,
Par ſeptum vt fias, hæc quoque tota trahe.
Pectore mox etenim riguus fons ibit, & hortus
Virtutum pariter deliciosus eris.

Epigramma.

Sponſam ſponſus ait, ſepe auctum & mœnibus hortum,
Fontemque, impoſitus cui tegat ora lapis. *Cantic. 4.*
Cur ita? ne vel turbet aper, vel vipera peſtem
Frugibus innocuis ſpargat, & afflet aquis.
Florea cum Maij ſurgit tibi pectore meſſis,
Cœlifluoque, animi, fonte madeſcit humus;
Ne pande inſidijs, Satanæ aut ſuccumbe furori:
Claudere; tutus enim, ſi benè tectus, eris.

Libertus cœtui Clericorum in Vlmeto degentium, à S. Rumoldo Præpoſitus datur.

Prouide viros timentes Deum, & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios & Decanos; qui iudicent populum omni tempore. *Exod. 18.*

Biſſex Zodiaci peragrat dum ſidera Phœbus,
Innumeraſque regit Cynthia nocte faces;
Libratiſque manet tam certus motibus ordo,
Tam certâque fluunt lege perennè vices:
Harmonicos olim Samius ſophus æthere cantus,
Inſuetumque hominis credidit ire melos.
Quanto ſed potiùs, Phœbo dum luce Rumoldus,
Aſtris tamque parem cernis adeſſe chorum;

Qualia

Digitized by Google

Iob. 38. Qualia in axe nouo, nascentis origine mundi,
Concinuêre Deo nobile laudis epos:
Dixeris Vlmetum, cœlo par fulgere cœlum;
Nec dubiâ melicos promere voce sonos.
Hîc vbi multiplicis discretus muneris ordo,
Alternasque vices altera lampas obit.
Quod si surda negat, vel læsa incudibus auris
Huc oculos saltem, quo fateâre, moue.
Ecce enim Olympiacâ rursum sub mole laborans,
Herculeis humeris sidera fulcit Atlas.
Sufficit Vlmeti Libertum in regna, Rumoldus;
Alcidæ in quod onus nouerat esse parem.

In huius seculi mores. Epigr.

O scelus, ô probrum, nostrique infamia secli,
Porta adytis Christi non satis vna modò est.
Vndique perfoditur, lataque Ecclesia rimas
Accipit; & densi, quà datur ire, ruunt.
Ille fauore Ducum, nummis hic, ille propinqui
Iure, sacerdotî nobilis ambit opes.
Non ita priscus Aaron cidaris sibi sumpsit honores:
Non ita Libertum Præsidis auxit apex.
His neque opes, sed opus; nec honos, sed onus fuit ingens,
Gessisse imperij sceptra timenda sacri.

S. Libertus cœtui Clericorum præfectus, tanquam Argus aliquis regendi officio incumbit.

Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

Dissimili quantum seruant sibi credita curâ
Inachides custos, vnoculusque Cyclops?
Hic acie captus, somnoque meroque sepultus,
Erranti, recubat vasta per antra, grege.
Centum oculis ille omnividus, nocteque dieque
Aduertit Phariæ lumina fixa boui.
Dumque sopora leuem carpit pars vna quietem,
Altera perpetuâ ceu statione manet.

Pastorum

Digitized by Google

Pastorum sunt nempe typi: gregis immemor vnus
Prodit ouile lupis, in foueasque præit.
Alter at, Isacidæ similis, non somnia ducit,
Seu sua sol rutilus plaustra, sororue regit.
Sollicitoque cauens deponere pectore curas,
Assiduâ incumbit sedulitate gregi.
Argus eras, Liberte, vigil: dum sacra regendi
Cœtûs, Rumoldo frena iubente capis.

Epigramma.

Vidit amygdalinam virgam & vigilantia sceptra,
Cunctiuidi, Helciades, signa typumque Dei.
Arboribus citiùs reliquis nam Phyllidis arbor *Numer. 1.*
Promicat, enatis euigilatque comis.
Illa adeò, baculusque vigil sunt symbola regum,
Debent ante alios Præsidis esse sacri.

Aliud ad Pastores animarum.

Iacobo haud melior fuerit Pastoris imago:
Adspice, namque in eo picta tabella tua est.
Viderat ille gradus tensos ad sidera, visis
Sic alternâ homines Cœlicolasque vice.
Pauit oues, pascis; noctuque & luce flagrantes
Sustinuit radios, indomitumque gelu:
Curas corde tegis, corpus labor improbus vrget,
Inuigilas simili dum ratione gregi.
Connubijs Iacob Lia iuncta, Rachelque fuêre:
Suntque Theoriæ, & praxis imago tuæ.
Faxint ò Superi, comitatus vt agmine multo
Denique conscendas patria regna poli:
Exilij post ille sui, cursumque laboris,
Quàm pecoris diues rura paterna redit.

Aliud de Rectorum virtutibus.

Scortea pera, penus Cereris; compacta cicutis
Fistula, virga, pedum, fune retentus Hylax;

Digitized by Google

Pastoris fuerant ludicra insignia Phœbi,
Pauit ad Amphrysi littora quando gregem.
Bucula non Io, tibi Mysta, & Agenore nata,
Pascitur Admeti non tibi vile pecus:
Ecclesiæ riguis sed qui spatiantur in aruis,
Pasce meas, Christi voce iuberis, oues.
Formam igitur, Custos, tibi sume & Apollinis armas:
Sunt ea, pera, canis, tibia, virga, pedum.
S. Bern. in sententijs. Pane grauis quæ pera? sacri mens prodiga verbi,
Solamen miseris fistula dulce canat.
Virga ferit, baculusque lupos procul arcet ouili:
Longanimis zelus sit tibi vinctus Hylax.

S. Libertus zelo Diuino æstuans, reliquias Impietatis è Belgio profligat.

Ierem. 1. *Ecce constitui te super gentes & regna; vt euellas & destruas & dispердas, & dissipes; & ædifices, & plantes &c.*

Notior Herculeis vt fabula nulla trophæis,
Sic nulla est falso nomine vera minùs.
Namque Erymanthæumque suem, Nemeæque Leonem,
Lernæamque feram, flammiuomumque Cacum,
Ceruamque æripedem, Harpyias, regemque triformem
Vicisse egregio monstra labore ferunt.
Quin magè tergemino rictu qui personat Orcum,
Astrictum Superis exhibuisse canem:
Orbis & edomiti testes posuisse columnas,
Pronus vbi occiduum Phœbus in æquor abit.
Non ista Alcides, stultè vt mentita vetustas,
Alterius sunt hæc fortia, gesta manu.
Liberti hæ pugilis laudes: hic impiger Hercles,
Herculis est illi debitus omnis honor;
Terris qui pepulit Cocyti informia monstra,
Non mihi si centum guttura, cuncta canam.
Apoc. 17. Cui domita Impietas, quam panda decemplicis Hydræ
Tergora, famosam ceu Babylona, vehunt.
Totque hostes, scelerum fudit tot nomina, scripta
Pegma Colossæum quot celebranda gerit. Nempe

Digitized by Google

Eumenides, vultuque triplex Proſerpina, Pluto,
Crimen Belgiaco victa, fugata ſolo.
Nempe triumphorum teſtis Mauruſia Calpe
Iſtorum; eſt Oriens Phœbus, & Occiduus:
Eſt Cœlum atque ſolum: nam dum lux axe nitebit,
Clara Athletæ huius gloria ſemper erit.

Epigramma.

Flammæ cur Hercli & claua? an quòd ad æthera tollat
Corporis inde labor, pectoris inde vigor?

Aliud ad Sacerdotes.

Quid ceſſat tibi pigra manus? ſic vomer & occa,
Sic tibi Myſta, ligo, ſarcula, raſtra iacent?
Cultor es; in mediâ lati ſunt vrbe nouales:
Omnia ſed ſquallent triſtibus aſpra rubis.
Si Zeli tibi corde calet vigor, inijce flammas;
Ambuſti, Cereris munera læta ferent.
Relliquias ſceleris priſci conuelle, perure:
Chloris ſepta habitet; culta, fac, arua Ceres.
Hoc opus eſt, & ſcena tui non vana laboris;
Ponere virtutes, orbe tuliſſe nefas.

Nortmanni à Furijs ſeu Dæmonibus exciti, perſecutionem Eccleſiæ innouant, & in Belgium graſſantes perueniunt.

Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam. Matth. 16

Quò rabies vos cæca rapit, Phlegetontia triga?
Spicula quò, rutilæque faces? quis clamor ad auras
Inſuetuſque furor? pulſæ ſic omnibus oris,
Omnibus extinctæ terris, hoc funere vaſto,
Perfidiæne parentatis? ſociaſque phalanges
Infrenis Getæ, Hyperboreo deducta Trione

Agmina, vbi gelido regnatis in aëre latè;
Orbis in exitium nequicquam accingitis armis?
En vt Tisiphone flammis metuenda, maniplos
Vrget, vt Astræam tendit depellere terris,
Et benè concordis disrumpere fœdera mundi!
Nam cùm Barbaries Thraces extrema, geluque
Peruasit canam Rhodopen, & rupibus altæ
Victis Illyridis, dat iura Istroque, fretique
Faucibus Adriaci: Patriæ Mæotidis illa
Immemor, Hungaricos Scythico de nomine campos
Nuncupat, Oenotriæ grauidis iam proxima prædis.
At noua Visurgis superant examina fluctus,
Et deserta, suas per Cimbrica littora gentes
Euomit Vrsa simul, facibus quas flammat Enyo.
Nec iam Teutonici clauduntur finibus Albis:
Longiùs ad Rheni, prædas rapit ardor agendi,
Flumina; decliui Frisones hinc limite vastant.
Mosaque cùm calidis mutauit cædibus amnem;
Brabanti petit arua furor: simul vndique fumat
Belgiadûm facibus Tellus, hydrisque remugit;
Plantatamque recèns Mechelæ, à radicibus imis
Vellere Dira fidem Christi, illiusque colonum,
Si quà fata sinant, Libertum funere tendit
Mergere crudeli. Sed demens, sanguine nescit
Surgere Christiadûm, iacto ceu semine messes:
Vtque flagella sator dum luxuriosa putauit,
Vberior veniat grauido de palmite botrus.
Ecclesiæ vesana, quadro consistere nescit
Inuictam sedem saxo, quam plurima contra,
Nil leuis aërias posset pila missa per auras.
Ecce, vt Tartareas iactis radicibus vmbras
Ilex celsa premens, frustra stridentibus austris,
Horrisonique minis tonitrûs immota resistit:
Sic rabiemque, Erebique dolos Ecclesia spernit,
Illam Tænariæ poterunt nec vincere portæ.

Libertus

Libertus suorũ suasu, at Diuino consilio persecutionem declinans ad Trudonis fanum se recipit.

Cùm persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam. Matth. 10.

Te celeri, Liberte, fugâ cursuque fatigas?
Sic vitæ incertus, certa pericla petis?
Nonne ita fluctisonam vitat cùm nauta Charybdim,
Naufragus in Scyllæ saxa timenda ruit?
Anne tuos liquisse potes? custode remoto,
Nonne furor Getici sternet ouile, lupi?
At iussêre tui; miseræ spes altera Mechlæ,
Barbarico trepidi, ne simul ense cadas.
Id volo; sed Superûm, mihi certiùs, alta voluntas
Impulit Vlmeti linquere rura tui.
Ergò fugis, sed Parthus vti aut Scytha belliger, hostem
Qui ferit, auersâ tela iacitque manu.
Aut Decij quales, Natusque, paterque, neposque
Pro Patria pectus forte dedêre neci;
Iamque aciem versam placato numine Diuûm,
Nobilis ad palmæ restituêre decus.
Sic quoque quando cadis pro Belgî victima noxis,
Firmas morte fidem, Barbariemque premis.

Epigramma.

Dum caderet crudâ Libertus cuspide Martyr,
Testatus Christum Christiadûmque fidem:
Adfuit ætheream portans Victoria laurum,
Atque ait, hoc hostem vincere, non fugere est.

Aliud.

It contra, Antigonus dispar dum viribus, hostem;
Sæpe fugâ, invalidam militis auxit opem.
Dumque redit, probroque datur cessisse; negauit,
Quæsij, ait, palmam quæ sita retrò fuit.
Tu quoque, dum prudens patriæ discrimina vitas,
Liberte; accelerant nubere serta comas.

S. Libertus

Digitized by Google

S. Libertus ab immanibus Danis ante Altare confossus, Christo in Crucis ara morienti assimilatur.

Rom. 8. *Nam quos præsciuit Deus, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Qui etiam proprio filio non pepercit. &c.*

Quàm benè Libertus ferro confossus ad aram,
Cœlicolasque rogans, fata suprema tulit?
Paulus nam Christi similes vocat iconas, astris
Quos legit, & Diuûm tollit honore Pater.
Iconas, at quales docti neque Mentoris æra,
Fingere Apellæâ nec queat arte labor:
Sidereo potiùs sed vt igne Promethea narrant
E molli statuas viuificasse luto.
Aut velut, illimi pingens se Phœbus in vnda,
Ipse suum efformat luce nitente iubar:
Qualis vel Clytie studiosa pedisequa solis,
Orbe trahit similes atque colore comas.
Iustitiæ sic sol, Diuis sua lûmen & ignem
Immittens, similes ritè dat esse typos.
Talis vbi viuens fuerat Libertus imago,
Plus fecêre tamen fata cruenta parem:
Dumque rogans veniam sceleri, dum brachia tendens
Astris, nec meritus militis ense cadit.
Atque Patri vt vitam Christus, Crucis obtulit arâ:
Altari pariter victima cæsa Deo est.

Epigramma.

Quàm cupidè Liberte, tuos bibit ebria rinos,
Olim sanguineis ara suêta scyphis?
Vilis tunc sitis, & tabô saturanda nigranti:
Poturæque, capri sat cruor haustus erat.
Sanguine sed Christi postquam dignatus Olympus,
Spernit centenos delicioſa boues.
Vt tamen è iugulo Liberti experta liquorem,
Hoc etiam nectar, sed minus istud, ait. Aliud.

Digitized by Google

Aliud.

Sacrificî dixêre genus, per vulnera Martyr
Dum moritur: cædis fit sacer, ara, locus.
Nil hîc symbolicè geritur; sunt omnia certa,
Mystes, ara, preces, victima, templa, Deus.

S. Liberti Martyris Apotheosis.

In nidulo meo moriar, & sicut palma (aliàs, Phœnix) multiplicabo dies. Iob. 29.

Imperij dum Roma potens, atque aspera bellis,
Solis vtrique dedit iura, magistra freto.
Mos fuit, vt quorum viuaci laude triumphos
Egerat, inferret fata superba polo. *Alex. ab Alexand.*
Non vulgare tamen; sed Cæsaris vnius, astris
Indigetem scribi, Cæsareæque domus:
Odrysium tinxit Scythico si sanguine campum,
Si Parthis aquilæ, signaque rapta Getis;
Ardentis Libyæ steriles si visit arenas,
Quàque patet Tellus, Daphnica serta tulit.
Tunc vitæ exortes ferus cùm poscereet æther,
Rumperet & rigidâ licia Parca manu:
Tybridis ad fluctus, viridi Mauortis in agro
Alta stetit piceis ilicibusque pyra.
Illaque tergemitum tollens laqueare sub auras,
Niliadum est tumulos vincere visa Ducum.
Quam circum, Gentis ceræ atque ingentia facta,
Ostrumque Oebalium, molleque fulsit ebur.
Culmine at in summo Panchæos inter odores,
Quidquid & Arabiæ diuitis ora metit;
Fulminiger præpes, lectusque coruscus in auro,
Armaque & exuuiæ, laurus & ensis erant.
Intereà ardescens trabeatâ in veste Senatus,
Quosque triumphantes Roma curule tulit,
Subijciunt humeros, gemmisque insigne ferêtrum,
Nobile Phidiacæ quo iacet artis opus,
Ædepalatinâ Tiberini ad littora portant;
Et noua odoratis dant alimenta rogis.

Nam

Nam simul, auersos aliquis facis inijcit ignes,
Congestæque ferunt cuncta cremanda pyræ.
At fumo, & rutilis ales Iouis incita flammis,
Præcipiti lapsu se per inane rapit.
Viuacemque animam superare hoc nubila tractu,
Credendum veteri relligione fuit.
Hîc vbi in Australi, gelida vel parte Bootæ
Ardeat, astrigeris addita flamma globis.
Non ita te volucris fingam sub imagine fluuæ,
Liberte, æherei celsa petisse poli.
Immodicis neque enim studijs vilique fauore,
Morte sed egregiâ sidera pactus habes.
Huc tua te virtus, blandæ non indiga laudis
Vexit, & æterni Numinis æquus amor.
Illa virûm plausus, tumuli aspernatur honores;
Ipsa sibi fasces, purpura, cera, decus,
Auroque exuuiæ rigidæ, spectabilis ostro
Lectus; Arabs messis, regius ales erat.
Hæcque inter merita exultans in cæde recenti,
Fugit ab exosa spiritus acer humo.
Ergò magè, astriferum cum sic penetrâris in axem,
Dixero Phœnicis te properâsse modo.
Cynnameos inter perit atque reuiuit odores:
Nidus & est, ardens quæ pyra, solis aui.
Cogit Achæmeniâ grauis annis fronde sepulcrum,
Phœbi vbi, in Assyrijs torrida flamma iugis.
Hicque furente cremans æstu ramalia busti,
Nascendi è tumulo præcipit ire vices.
Egreditur volucris molli renouata fauillâ,
Pubentesque leuis ventilat aura comas.
Ac simul, vt perhibent, Phariam Titanis ad vrbem,
Relliquijs patrij tendit onusta rogi;
Quam centum comitantur aues, stipantque sequentes,
Heliacâ donec munus in arce locat:
Aram vbi & effigiem Phœbi veneratus herilem,
Seque, suumque sacer dedicat ales onus.

Vera

Vera anùs, an mendax tantùm sit fabula, Phœnix?
Res alijs anceps, sed mihi certa modò est,
Tu Phœnix, Liberte, cui fuit inter odoras
Vitæ principium fataque summa, preces.
Non sic Assyriæ redolent genialia Tempe,
Non casiæ messis, cynnama, tura, rosæ:
Non sic vulnifico desudat saucius vngui
Niliacis hortis balsama læta frutex:
Vota velut, per quæ natus, quæ mortuus inter,
Afflauêre aura suaueolente polum.
Quàm magè Rumoldi pietas, bis lumina vitæ
Qui dedit, Armenij vincat amoma soli!
Persica quosve tuis Tellus satis æquet odores,
Quos aris Superûm, vox fugitiua dedit?
Scilicet halanti mollis tibi nidus Acantho,
Thureque & è myrrha tunc rogus, ara fuit.
Ara fuit bustum; Phœbæâ vbi lampade, sacri
Pectora flammipotens Pneumatis vsit amor.
Ara simul nidus, luteis vbi libera membris
Mens vitæ cœpit ducere secla nouæ.
Tunc sicut Phariam Phœnix Gangeticus vrbem,
Ad sacra Titani templa volûcris abit:
Stelligeros sic lætus adis, Liberte, recessus,
Solis inexstincti lux vbi summa beat.
Alipedum quò densa cohors te ponè secuta,
Harmonicis recreat sidera lata modis,
Parsque Getæ frameam, tanti instrumenta triumphi,
Et necis omne decus, fronde virente ligat.
Pars vitæ, geminique canit miracula lethi:
Donec Olympiaco vertice pompa stetit.
Hîc tu perpetuum Solem veneratus adoras,
Diuinasque hauris ore bibace faces.
Hîc tibi laurigeros præbet victoria currus,
Vestigatque tuas vltrò corolla comas.
Denique Phœnicem Tellus te tota fatetur,
Nascendique canit fata dedisse vices:
Natalem dixêre etenim, cùm morte solutus
Cœpisti astrigero ducere secla polo.

Digitized by Google

In sacros Triumviros & Apostolos Mechliniæ, Martyrio illustres, Lambertum, Rumoldum & Libertum.

Ter. All. *Sanguis Martyrum, semen Christianorum est.*

Vitis ab his fidei fuerat tibi condita pridem,
Mechela, & impigro culta labore satis:
Primumque intulerat refecem Lambertus ab oris,
Quas secat vndiuagis Mosa superbus aquis.
Postque, Caledoniâ veniens Tellure Rumoldus,
Vineti sterilis consitor alter erat.
Mystaque natalis Libertus gloria Mechlæ,
Augebat patrium stirpe ferace solum.
Deerat sed riguus, teneram qui spargeret, imber,
Vinea quò peteret luxuriosa polum.
Cuncti igitur fundunt rorantem è gutture lympham:
Tergemini pluuia est sparsa cruoris humus.
Ac licet vnus agris Eburonum infudit & alter,
Æmula nectarei flumina rubra meri:
Non tamen ambrosij pretio & virtute liquoris
Orba doles; huius vis quoque, Mechla, tua est.
Sic tantùm non, dulce satis, vbi depluit humor:
Sed circùm fluidis quæ quoque tingit aquis.
Tempestas fuerit terræ quæ sanguine pota est,
Alueus & torrens sit modò, Mechla, tuus.

In eosdem Mechliniæ Præsides & Apo[illegible] Martyres.

Ioan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*

Saxa Promethides iaciens, magnæ ossa parentis,
Humanum potuit restituisse genus.
Seuit & auguineos cùm natus Agenore dentes,
Emicuit ferrêis terra corusca viris.
Gorgoneo omne etiam colubrûm genus Africa tabo,
Progenuitque frequens hydra cruore caput.

Cur

Digitized by Google

Cur neque Martyrio bibulis cruor hauſtus arenis;
Oſſaque, Chriſtigenas, ſparſa per arua ferant?
Nempe ſolo veluti mandatum ſemen, oportet
Putre ſit, vt campo ſurgat opima ſeges:
Cæſa ita Sanctorum, flammiſque abſumpta, feriſue
Corpora, fruge pios luxuriante ferunt.
Relligione ſtupes forſan tanta vnde Malinæ?
Horum prognatam ſanguine crede trium.

S. Libertus Indiges & alter in cœlo Orion: cum Belgicæ tanquam ad propitiũ ſuum ſidus voto.

Deus extendit cœlos ſolus, & graditur ſuper fluctus maris. Qui facit Iob. 9.
Arcturum, & Orionã, & Hyadas, & interiora Auſtri. &c.

Quod video rutilare nouum per ſidera lumen
Indigetis ſpecie? ternæ ſtant vertice flammæ,
Horrenteſque ciet nimbos, enſemque coruſcat.
An nouus Arctoas ſedes Erymantidos Vrſæ
Obtinet Orion? Certè iſtud, namque dederunt
Hoſpitij munus, Superi; ſiluæque colonus
Purgauit patrium, melioribus artibus, orbem
Portentis Erebi, ſcelerumque; atque æthera vicit
Non minùs inſignis gladio, quo lumen ademptum eſt.
Sic, ô ſic! Liberte, nouum te Oriona Tellus
Belgiadũm videat: nimboſque, vagoſque tonitrus,
Vltriceſque minas & noxia fulmina toto
Axe moue, facibuſque mica, ſtellanteque ferro
Adverſas citò coge fugæ dare terga phalanges.
Horrificos Boreas pugnantibus obuius auſtris,
Iactet aquis terriſque globos, trepidetque ſuperbus
Inſtitor, & Batauo deprenſus in æquore nauta;
Inſaniſque fretis & iam ridentibus actas,
Piſcator montoſa paret iuga vincere lintre.
Sic, ô! propitium te Belgica ſidus adoret,
Tyndaridaſque velut Iuturnæ ad littora fratres,
Lauiſſe hoſtili fœdatas ſanguine veſtes
Fama refert: patriæ vindex ſic prælia miſce,

Digitized by Google

Prælia laurigeris nunquam fruſtranda triumphis;
Purpureâque ſagum pariter de cæde lauantem,
Mechcla natalis Diliæ te cernat ad oram.

Ad S. Libertũ, pro publica pace & libertate Votum.

Dudum ſæuiat vt Gradiuus armis:
Vt damnis patrium ſolum fatigans,
Hoſtiles acuat Megæra turmas;
Inter nectareos ſcyphoſne cernis?
Aut eius tibi cura nulla reſtat,
Liberte? heu! litui, tubæque paſsim
Auras terrificant, virûmque clamor:
Aptantur galeæ comis, & enſes
Horrent vulnifici nocenſque telum.
Tantùm denique bella, cruda bella,
Infandæque neces; nimiſque vero
Belli nomine Belgium vocamus.
Inter nectaris iſtacernis hauſtus?
Nec terræ patriæ vlla cura tangit
Liberte? ô facilis, benigniori
Specta hanc lumine, opemque proniori
Affer numine; Belgicæ, tuoque
Nomen nomine fac bene ominato
Dicatur. Piceas faces profundis
Mergat Tiſiphone inquieta ſtagnis;
Manors cedat atrox, ſororque Enyo,
Immaniſque furor, rubenſque pugna,
Ærumnæque; neceſque, ſeruituſque;
Pro quêis pulchra caput virente oliuâ
Libertas patrias reuiſat vrbes:
Huic ſtipent Pietas, Fides, Pudorque,
Et Diuûm Metus, & bilance Nympha
Inſignis ſimul hinc & inde currus.
Sic, ô! nomine, Belgicam, auſpicato
Libertæ indigita, manuque mitte
Turpi ſeruitio: illa te viciſsim,
Semper fida cliens, amans patroni,
Inſcribet, patriæ patremque dicet.

AD

AD RES GESTAS
S. LIBERTI MARTYRIS
FAX HISTORICA,
DISSERTATIONIBVS
SIVE
CAPITIBVS NOVEM CONCINNATA:

Quibus simul Historiæ veteris Mechlinien. cùm sacræ, tum profanæ fundamenta quædam, aliaq; luce perfunduntur.

AVCTORE
R. P. IOANNE ANTONIO A GVRNEZ
Congregat. Oratorij D. IESV Presbytero.

MECHLINIÆ
Apud HENRICVM IAYE Typograph. juratum.
Superiorum permissu. Anno 1639.

Digitized by Google

S. Basilius orat. in 4. Martyres.

Hi sunt, qui nostram regionem administrant: & veluti turres quædam cohærentes securitatem ab hostium incursu exhibent, non uno loco seipsos includentes, sed multis iam locis hospites facti, & multas PATRIAS exornantes.

S. Gregor. Nazianz. orat. 1. in Iulianum.

Non victimas pro Christo cæsas reueritus es? & mox: *Quorum uel sola corpora idem possunt, quod animæ sanctæ, siue manibus contrectentur, siue honorentur; quorum uel solæ sanguinis guttæ, atq; exigua passionis signa idem possunt, quod corpora.*

Reuerendo admodum in CHRISTO Patri,

ET ILLVSTRI DOMINO

D. HVBERTO A SVTENDAEL

S. THEOL. LIC. IMPERIALIS, ET LIBERI COENOBII AC OPPIDI S. TRVDONIS ABBATI ET DOMINO ELECTO:

Domino in Senij, Helchteren, Halmael, Bevyinghen, Borlo &c.

Reu. admodum Pater, atq; Ampliſſ. Domine.

Vemadmodum Homeri patriam ſeptem ſibi vrbes arrogârunt, *Smyrna*, *Rhodos*, *Colophon*, *Salamin*, *Ios*, *Argos*, *Athenæ*: Ita hodie de incunabulis Sanctorum non vrbes tantùm, vt de B. Agatha Siciliæ Panormus & Catana; ſed nobiles prouinciæ, ſed integra regna, vt aliquam hinc ſibi gloriam vendicent, potiori certè iure contendunt. Quo in genere Scotorum & Hibernorum præcipuè verſantur cauſſæ. Tamen ea actio grauior, & meo iudicio dignior iuſtiorque, quâ lis non de re fortuita ac ſplendidi vmbra nominis; ſed de SS. Corporum theſauris ſolidis & ſolidè poſſidendis non raro indicitur. Vt exemplorum

Digitized by Google

sim parcus, de magni Ascetarum magistri, Smi. P. V. Benedicti sacris pignoribus Italia & Gallia, duo Europæ regna nobilissima pridem decertârunt. In Belgica hâc nostra Laubiensis Vestri Cœnobij & Binchij quò non nixæ famâ pervênere? Potuit quidem & Trudonopoli Mechlinia parens & altrix, de sacrosanctis LIBERTI Martyris alumni sui Reliquijs repetundis diem dicere, & in ius vocare: Verùm Diuinarum humanarumque legum scientissima (vt quæ Romæ similis forum triplex habet, vnum, cui Religio præses; alia duo Themis & Astræa iustitiâ moderantur) non temerè sibi litigandum putauit, quæ in id noxæ genus æquissimè solet pœnas decernere. Talis enim, nequaquam prima legum cunabula & totius legitimæ scientiæ prima elementa, vt Imp. Institutiones vocat, nescire potuit; quibus sancitur vt & *Partus sequatur ventrem*; Et quòd *Mortuum in sepulchrum etiam inuitis cæteris liceat inferre*: Tum quòd *Thesauros, quos quis in loco etiam sacro aut religioso, fortuito casu inuenerit; diuus Hadrianus naturalem æquitatem secutus ei concesserit, qui eos inuenerit.* Atenim B. LIBERTVS materno genere Hasbanus & Sarcinicnsis, id est, Vester fuit: & a Barbaris crudeliter obtruncato

Suet. in Aug. c 29.

Institut. Iur. lib. 2. tit. 1.

caro tumuli honorem impendistis: Denique cùm ædiculæ ab Abb. Wirico ampliandæ fundamenta iaciuntur, Thesaurum forte repertum rectè occupastis; si tamen alicuius *esse possunt*, quod Iustinianus negat, *Res sacræ, & religiosæ, & sanctæ.* Hinc causæ diffidens Mechlinia, vt alios possidendi Vestros titulos præteream; iure, quod debile fuit, & litigantiũ strophis vtiliorem humanitatem sibi fore putauit, quâ vrbem æmulam aggressa, cùm ab eadem rectè instructam, imò ad omnem comitatis vnguem factam offendisset, dixisses duas inter Charites certamen ortum, cuius is fuit exitus, vt in oscula amplexusque illæ confestim ruerent. Neque mirum id visum, quòd pacis huius arbitri & feciales forent Illustrissimus D. IACOBVS BOONEN sacrorum apud Malinates Princeps, & HVBERTVS GERMEYS Præsul integerrimus. Itaq; ad Thesauri partitionem Trudonopolis non ægrè, neque vt beneficium largita, sed nacta, natalem Martyris vrbem admisit: quæ quo affectu donum susciperet, mox in advectione palàm eâ pompâ fecit; quâ nescio, an à seculo aliquid aut viderit, aut egerit magnificentius, statuâ etiam Sanctissimi LIBERTI ad S. Lipsana condendum paratâ, auro argentoque pretiosissima. Nos

quoque (faceſſat cum vanitate inuidia) in tanto opere partem adepti, ferculis pompæ procedenti datis, tragœdiâ LIBERTO, publicè exhibitâ, hiſque Poëmatis in area Collegij vicoque publico expoſitis, communem vrbis lætitiam ornare & augere pro facultate ſtuduimus. Neque tantùm, ſed ne Mechlinia in hac officiorum & humanitatis lucta prorſus ſuccumberet, remiſſis per Illuſtriſſimum Antiſtitem donarijs ampliſſimis, mihi ſuggeſſiſſe viſa eſt, vt quia tot nominibus nullo ævo ſatis expungendis, Vobis obſtricta foret, acceptâ præterea ab annis 500. per Theodoricum Abbatem Veſtræ Trudonopolcos, B. Rumoldi Apoſtoli & Tutelaris ſui accuratâ fideliquè notitiâ; aliquid ego operæ in illuſtrandis Veſtri ſuique LIBERTI geſtis collocarem. Et ecce (ſed tantillum id eſt) conatum hunc meum, ſeu Diſſertationes in omnem B. LIBERTI vitam ſui Magiſtratus inſcriptas & prænotatas nomine, grati ſaltem & debitoris animi teſtimonium amicæ Trudonopoli, Tibiq; primùm, Vir ampliſſime, qui in eius Præſulem ac Rectorem es electus: *Huberti*, inquam, *Germeys* præclaræ Record. vt dignitatis, ita virtutum heredi defert. Ne enim in laudes Tuas, quas ægrè modeſtia tua patitur, digrediar longiùs;

tantùm

tantùm Te nomine reque ipsâ, illius velut è cinere Phœnicem rediuiuum dicam: atque vt illi pridem, ita nunc Tibi virtutes similimas, Religionis ac disciplinæ zelum, litterarum sacrarum intelligentiam, prudentiam, comitatem, moderationem, perque eosdem honorum gradus, ad Abbatis solium præiuisse, in eo collocasse. Quibus causis ego RR. Ascetis Vrbique toti; mecum Mechlinia boniique omnes iure gratulantur. Quia igitur in hoc laudum Tuarum patenti campo spatiari diutiùs me non finis, imò ne omninò attingerē, vel aliquid nomini Tuo inscriberem, quòd semper cùm laudatione res ea sit coniuncta, pro Tua modestia singulari scriptis semel litteris interpellasti: ad vota conuertor, vt renatus Phœnix, & Patris Antecessoris Tui quàm similimus filius, eius annos viuacior superes; virtutes & dotes, ipsumque, quantus & qualis fuit, in spiranti imagine Tuis exhibere pergas: & quod in sobole etiam parentibus gratum, multis partibus antecellas. Ita vovet & optat

Mechliniæ 17. Martij 1639.

Reu. admodum & Ampliss. D. V.

Humil. Cliens & seruus IOAN. ANT. A GVRNEZ
Congregat Oratorij D. IESV Presbyt.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD VITAM SIVE RES GESTAS

S. LIBERTI

MARTYRIS,

FACIS HISTORICÆ

Dissertatio, seu Caput primum.

De paterno & materno Liberti genere inquiritur & disceptatur.

NOn Philosophos tantùm aut Sapientiæ Antistites, sed & omnes, qui prudentis iudicij trutinâ rerum dignitatem expenderunt; suis eam semper calculis sententiâ firmasse constat: Maiorũ gloriam & generis splendorem, dissimiles posteros non illustrare; sed ignominiæ labe potiùs adspergere: neque istorum probra, suâ luce obtegere; sed notare magis & prodere degeneres. Iuuenalis sat. 8.

Quòd si præcipitem rapit ambitus atque libido,
Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas, claramq; facem præferre pudendis.

At porrò Romanus ille Sapiens de natalium claritudine ita latissimè

Digitized by Google

Seneca de Benef. 3. cap. 28. latissimè, imò vniversim arbitratur: *Qui imagines in atrijs expenunt, & nomina familiæ suæ longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte primâ adium collocant; nori magis, quàm nobiles sunt.* Epist. 44. *Nemo in nostram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit, nostrum est.* A quo rigore neque abijt Tragœdus alter, in furente Hercule:

Non vetera patriæ iura possideo domûs
Ignava pepes; nobiles non sunt mihi
Avi, nec altis inclytum titulis genus;
Sed clara virtus. Qui genus iactat suum,
Aliena laudat.

Tragicè ista quidem aut Stoicè, & ad instituti, quod professi, normam. Cur enim legitimam minùs gloriæ, quàm opum hereditatem putes? Filij proletarij & mendici frustra ad diuitias, quas illorum habuere patres, suspirant: ita degeneres moribus, Maiorum immeritò virtutes & gloriâ, buccis inflatis crepant. Verùm contrà, vti qui auitas opes percepêre, ijsque vel rectè vtuntur, vel suâ etiam industriâ amplificant; bene & cum fructu laudeq; sua, quæ Maiorum fuerant, possidere dicuntur: ita de gloria ad Minores bene vsuros transmissa pridem sensit doctissimus & sanctissimus Insubrum Antistes, cuius sunt verba: S. Ambr. l. 1. in Luc. *Docet nos Scriptura Diuina non solùm mores in ijs, qui prædicabiles sunt, sed etiam parentes debere laudari: vt velati tansmissa immaculatæ puritatis Hereditas, in ijs, quos volumus laudare, præcellat. Quæ enim alia intentio Euangelistæ, nisi vt S. Ioannes Baptista nobilitetur parentibus, miraculis, moribus, munere, passione? Sacerdos itaq; Zacharias, nec solùm Sacerdos, sed etiam de vice Abia; ita est, nobilis inter superiores familias semine. Non solùm igitur à parentibus, sed etiam à Maioribus S. Ioannis nobilitas propagatur.* Ista sic præfari libuit, quòd Historiæ S. Liberti densam noctem, & tenebras dicam plusquam Cimmerias, faculæ ducta Incuniti, &, si Deus dederit, aliquantum discussuro nobile ac regium occurrat statim Proauorum genus, & parentum Comitum non solùm insignis dignitas, sed ingens etiam virtus, maximi alicuius, at intricati laudum Labyrinthi fores limenque obsideat. Itaque cum nouum Baptistam miraculis, moribus, munere, passione nobilem stylo depingendum suscipiam: nefas cum Ambrosio duco, tantam, quæ in parentibus fuit, virtutis & generis claritatem, quoad licet non luci reddere, & ob oculos omnium ponere. Præclarè enim

nomine

nomine Theodorici Regis, Gothicæ ille & fugientis eloquentiæ Princeps Cassiodorus: *Prouidentia nostra ratio est, ex parentum virtutibus, prolis iudicare successum. Fertur cursu perenni fontium vena vitalis, & hanc conditionem sustinent cuncta manantia, vt sapor qui concessus est origini, nisi per accidentia fortè fuerit vitiatus, nesciat riuulis abnegari.* Ista igitur velut pro foribus, & primis in atrijs exposita, Genus, Parentū honores, hinc Natale solum, id est, anum Mechliniam illam, admotâ face primùm disquiro, & ab ijs Liberti laudes aggredior. *Vos ingeniorum Musa præsides, tu Mater earum Memoria, adspirate, & per obliquas semitas hinc illinc eunti em ducite, & in tenebris præluc ete. Tenebris, quas paucitati Scriptorum assignamus: & malo fato, neq; nostrâ neq; aliâ linguâ res maiorum curiosè & fideliter proditas & pauca quæ extant, fabulis aut ludibrijs aspersa melior mens non admittit. Itaque talia ne exspectate: vera & seria amamus; & vbi ea desunt, silere aut opinari.* *Lipſ. Lou. lib. 1. cap. 5*

Parentes Liberti Ado siue Odo, Mechliniæ Comes, nonnullis Archi-Comes dictus; & Eliza, paucis Adeliza, æquè clara natalium splendore & Comitis Hasbani filia, nobilissimo par genere, sed virtute prorsus illustrissimum. Regio enim & Ducali Pipinorum stemmate Adonem editum, omnes, qui de eo locuti, consentiunt & scriptis tradidêre. Difficilè tamen verum istud è Democriti puteo, & abstrusis illis antiquitatum latebris producere; hoc inquam, tantum prosapiæ lumen, adeoque solem, siue Diogenicâ lucernâ, siue nostrâ faculâ ostentare: imò vix à tenebris omninò vindicare, possibile. Gramaius in suâ Mechlin. diplomatis æuo obsoleti fragmentum recitat, quo Pipinus Rex Francorum, Parisijs, anno 753. Aug. 22. regni sui 3. *Adoni affini suo tradidit terram in Bratuspantij medio, vbi Schalda* (sic verba sonant) *Tylam excipit, dictam Francis Maslinas.* Idem post recensitos ex Harigero primos, qui Mechliniæ, Comitum titulo olim imperârunt; Adonis stemma ex vero affinibus, vt putat, coniecturis sic comminiscitur. Post Monulphum inquit, *invenio apud prima classis historicos, Berulphum Comitem Mechlinien sem sub annū 714. quem non dubito filium esse Childebrandi, (quem Pipinus Dux ex secunda pellice suscepit) patrem Adonis Archi-Comitis, qui ex Elisâ Hasbani Comitis filia, precibus D. Rumoldi medijs Libertum filium suscitauit.* Moxque post libatam Liberti à Barbaris necati historiam, in rerum & temporum difficultatibus *Theodoric. Abb Trud. Sur. Gram l. b. 2. Mech fol. 2. Hare. tom. 1. Moring. in epit. Vitæ S. Liberti,*

Digitized by Google

cultatibus æstuans fatetur: *In huius temporis historia nonnihil me torquet neglectior temporum ratio; nec me expedio, nisi aut sacra, aut populari & antiquæ fidem negauerim historiæ. Ita satius mihi visum rem tradeciſam ob oculos ponere.* Subijcit ex noſtratis, hiſtoriæ Belgicæ periti verbis, Razonem Adonis fratrem, eundemque Franciæ Regis ærario præfectum, Mechliniâ ſucceſſionis iure potitum, cuius filia Machtildis Arnoldo Grimbergenſi nupta, familiæ iam tum inter nobiles celebri ditionem eandem dotalem attulerit; ab hiſque perpetuâ ſerie nati Bertholdi, Mechliniæ, non Comitum quidem, ſed Dominorum nomine iura dederint. Quæ vt non oppugnet, addit ex ſcedis Pithoei Bogdem Mechliniæ Principem dici ſub Ludouico Pio, anno 823. Bogdique pluresque annumerat, in Francorũ annalibus eodem titulo laudatos; *ſed omnes*, inquit *eiſdem annis, quos ille Adoni & Razoni tribuit.* Pro quibus, vtinam certis ac veris! gratiam Gramaio habere cupiam non vulgarem: neque enim tantùm Adonis ſic contextum ſtemma, ſed etiam Comitum Mechliniæ, quorum quidem Scriptores meminerint, continuata ſeries videri poſſit. Verùm, vt non ipſe diſſimulat, difficilia hîc multa, Syrteſque, quibus vix Tiphys ipſe carinam expliçet. De ſingulis ordine ac ſummâ fide. Primùm diplomatis illius vetuſti fidem Miræus in Annal. Belg. ambiguam & ſuſpectam facit. Cauſam neſcio, neque ipſe promit. Deinde vt impoſturâ vacet; quod poſt Gramaium, Haræus, Valer. Andreas, Ampliſſ. D. à Wachtendonck, alijq; putant, quibus lubens accedo; affinem ſuum ſanguine quaſi mixto, non propagine eadem editum Pipinus Adonem vocat. Cauſam huius argutiæ ſtatim ediſſeram. Adhæc Gramaius neque ſatis iudicio vel ex hiſtorica fide (de ipſo enim vſurpaſſe ſemel ſufficiat, quod de Lazio Lipſius: *Vir multæ induſtriæ & lectionis: iudicium & fidem eſt vbi requiras.*) Childebrandum Pipini ex ſecunda pellice, illius iterum filium & Adonis patrem Berulphum auguratur. De hoc prius. Vt enim Berulphum Childebrando patre generatum ei donemus, quod nemo prodidit; at fieri minimè poteſt, vt anno 714. Mechliniæ imperârit. Nam Car. Martellus ex Alpaide (quam pellicem primam intelligit) natus, & Childebrando ætate maior; nondum annos 20. quando Pipinus eorum pater fatis conceſſit, (quod eodem anno 714 contigit) exceſſerat: Childebrandum verò penè adhuc impuberem fuiſſe

Adan. 753

Haræus in Pipin. Val. in Biblioth. Belg. lit. M. VVachtend. in vita S. Rumoldi.

Digitized by Google

fuisse oportuit. Neque vero propius illud, quod de secunda Pipini pellice tradit, cuius prudenter nomen tacet à Scriptorum nemine proditum: imò alteram ab Alpaide fingendi præclusa omnis ratio videtur. Errant enim totâ (vt dicitur) terrâ, qui statim à cæde S. Lamberti hanc aut dimissam, aut sponte suâ, quo prioris vitæ maculas insigni pœnitentiâ deleret, à Pipino defecisse putant. Imò verò, offensionem Ducis & pellicis ex dolore, quem pius populus propter ademptũ sibi & dirè necatum sanctissimum Præsulem, luctu publico testabatur, causam fuisse; vt non eo, quo par fuerat, funeris honore Lambertus cõderetur, aut res eius gestæ tunc ex fide memoriæ mandarentur, rerum Leodiensium Scriptores passim expostulant. Neque tantùm, sed per idoneos, & notæ melioris testes exploratum est, Pipinum cætera egregium multis virtutibus Principem, & Begghæ Matris, Gertrudis materteræ aliarumque ab eodem stemmate, sanctitatis radijs obsitum; luxu tamen & carnis petulantiâ semel in transversum actum, ne serò quidem Alpaidem Plectrudi superinductam à se remouisse. Istud Marcellinus in vita S. Syviberti, comes eius individuus, & certæ fidei Scriptor sic ferè docet: A Plectrude illustri Duce Lotharingiæ, quæ Coloniæ Agrippinæ iam à sui repudij tempore morabatur, ad Pipinum Ioppiliæ ægrotantem missi sunt Syvibertus & Agilolphus ex Abbate in Stabulaus Vbiorum Antistes, ambo sanctitate clarissimi; qui Ducem vitæ vel serò corrigendæ cõmonerent, aliaque quæ exceperant mandata, occasionem nacti exequi curarent. Quæ dum faciunt, & ab illicito matrimonio deterrent, & ne Grimoaldum & Drogonem ex Plectrude susceptos Regnis & hereditate priuet, intercedunt; statim à Pipino cum indignatione repulsam passos, Alpais quoque irata celeriter abire præcepit, & ipsa leuibus machinis mariti animũ expugnans, Martellum filium suum, ab illo, eodem anno 714. mense Decembri moriente, Principatuum omnium heredem impetrauit. Marcellino Baronius & alij pleriq; adstipulantur. Nullus igitur secundæ pellici locus, ex qua Childebrandus; cum primam non modò in delicijs, sed etiam iustæ vxoris loco vsque ad vltimum vitæ tempus Pipinus habuerit. Idcirco recte Pithœus, Miræus & alij, Childebrandum ex Alpaide secundo loco susceptum ponunt, patrem deinde Nebelungi Historici. Constat enim ab inito cum Plectrude diuortio vs-

Apud Chapeau. l. 1. Rener cap. 22. Nicol. cap. 18.

C. 25 t 2. apud Sur. & Chape. ad 14 Cap. Nicola. in vit. S. Lam Baroni. ad an. 714.

Geneal. S. Arnul Mir. Chron. Bel. ad an. 714 & notit cap 20. Querceran in Historia Burgl. 2. c. 1. Historia Francor.

Digitized by Google

que ad annum Pipini fatalem, viginti circiter annos fluxisse: ac primo alteroue, qui fuit 695. Car. Martellum natum; sequenti Lambertum, quod infame & publicum illud flagitium argueret, à Dodone pellicis fratre occisum: Post quos, octodecim alios annos in eodem adulterij cœno hæsit Pipinus, & Childebrandum generauit. Corruit ergò leui impulsu illa Grammaij artificiosè magis, quàm solidè constructa series. Sed vtinam quàm exigui fuit laboris aliena destruere, tam facile sit astruere & in lucem proferre, quæ cum alijs omnibus sentimus. Equidem cùm primùm Pipinum Regem, in dicto diplomate Adonem nomine affinis, honoris plenissimo vocare comperi; vênit in mentem, quod post Sigebertum plerique, Landradam Martelli filiam ac Pipini sororem, Sigrammo siue Sigirammo potenti in Hasbania Dynastæ nuptui locatam fuisse, quem Elizæ coniugis Adonis, & Roberti Hasbani Comitis fratrem fuisse minimè dubiũ est. Quod ne liberè aut temerè magis, quàm verè opinari me putes; mecum ista, si lubet, inter se compone. Robertus in ea parte Hasbaniæ, quæ Sarcinium Veteribus dicta, & in qua conditum Trudonense cœnobium cum Vrbe visitur, Martello, deinde Pipino latè dominis, imperabat; ad quem etiam, fidei illius & amicitiæ memor Martellus, S. Eucherium Aurelianensem Episcopum in exilium iussit deportari. Sed Robertus perspectâ sancti Præsulis innocentiâ, omni humanitatis officio sibi colendum duxit. De tempore quidem huius exilij inter Sriptores disceptatio est non leuis. Vt vt sit, Tabulæ insignis & regiæ donationis à Miræo descriptæ, quibus an. 746. Robertus villas 5. celebres Grimoni Abbati Trudonensi contulit, adhuc inter viuos superasse docent. Vitâ denique functus, in eodem Cœnobio cum vxore suâ, non longè à sepulchro S. Trudonis terræ mandatus est, vt Chronicon eiusdem Monasterij manu-script. tradit, in quo & pleraque, quæ hactenus à nobis de Roberto dicta, reperire licet. At verò, vt ad rem veniam, Libertus, quem grandæua parens, & si quibusdam credimus, 66. annos vitæ emensa, Robertoque ætate suppar ediderat, peruadente Belgium sæuâ illâ Danorum tempestate, eodem loci atq; in matris Elizæ patriã, hoc est, Sarciniũ & Trudonopolimse recepisse profugũ omnes tradidêre; immò I. Domyns, non alio quàm visendi amicos studio, in Hasbaniam profectum fuisse, nescio ex quibus monumentis prodit: vbi cum victima Deo cecidisset; ante aram D. Trudonis, vbi occubuerat, loco pro-

Sigebert. in Chrò. Mol. Mirae. Sammarthani in Historia Genealog. Francic.

Mortem S. Eucherij in exilio suo Baron t. 9. Molan. in nat. ad 20. Feb. Suri. & referũt ad an 727 Sauss. lib. 5 Annal Aurel. Mir. in fast. & Chro ad an. 743 Notit. Eccl cap. 16 Chron. Tru Lib. 2. c 7. & l. 4. c. 12

pinquorum Roberti & coniugis vicino tumulatus est, & eodem tempore an. scilicet 1169. cum illis, sacra eius lipsana humo perfossâ à Wirico reperta fuerunt. Ampliùs lego in hoc D. Trudonis Monasterio pietati & litteris operam dedisse S. Godegrandum puerum, Sigrammi & Landradæ filium, quem Roberti perinde & Elizæ ex fratre nepotem, Liberti cognatum consectarium est asserere. Certè nemo per illud tempus in Hasbania, opibus & genere dignior, qui ad regias nuptias aspiraret, quàm Roberti frater: neque enim ille qualicumque Comitis, sed illustri etiam Ducis titulo passim laudatus legitur; & in Donationum Tabulis Pagum Hasbaniensem (quo omnis Hasbania olim notata) proprio ac perpetuo iure se possedisse non obscurè indicat, hocque exigit locorum tanta intercapedo, quæ de pluribus pauca, Trudonensi Ecclesiæ assignauit. Illa autem distractio Hasbaniæ in 4. Comitatus, quæ in diuisione Regnorum Lotharij inter Car. Caluum & Ludouicum Germaniæ Regem, an. 870. facta ponitur, post Robertum accidisse videtur. Hinc igitur illa Martelli de amicitia & fide Roberti spes tanta, & concepta opinio, vt ad eum Coloniâ Vbiorum, cuius custodiæ minùs fidebat, in Hasbaniam S. Eucherium ablegaret, quòd nimirũ filia in fratris thalamum concessisset. Hinc etiam fortè Pipinus Rex, Adonem affinis illustri titulo compellat, quod hic Elizam sororis suæ Landradæ verè affinem, coniugem obtineret; vt eâ caussâ, quasi propinquiori aliquo nexu sibi devinctum, eo nomine sibi cohonestandum putârit. Ista, inquam, primâ quod aiunt, facie sese possint obtrudere; sed tenue hoc nimis: & magis postquã animũ intendi, & Hasbanicæ vetustatis penũ penitiùs adij ac faculâ perlustraui, non tantùm obvium illud verius statuo, sanguine quoq; & genere propinquos per Catachresin affines dici: verũ etiam Hasbanos Comites ex eadem fluxisse doceo, quâ Pipinos, prosapia Præfectorum palatij, iterumque cùm per naturæ præscripta licuit, affinitatibus sanguinem non raro miscuisse. Prius istud vnanimi consensu tradunt rerum gestarum D. Bauonis Scriptores, quem prodiderunt editum Agilulpho Hasbaniæ Comite, patruele fratre Carolomanni, cuius filius Pipinus Landensis fuit, pater auusque Sigebertus & Ansgisus à quo vltimo velut stirpis radice primaria genus propagatum, in duas sanctissimas potentissimasque & opibus & dignitatibus familias,

Molan. in nat. ad 6. Martij & alibi. Mira in Fastis.

Suri. Mol. in S. Euche. Deputaui quidnã de allodio meo Donck Halen, Schaffẽ Velpẽ Meerhoudt &c. Vide Mira. in not. c 40

Pipinorum Brabantiæ Ducum, & Hasbaniæ siue Ducum, siue Comitum, ramis honoris & gratiæ egregiè pullulauit. Quippe cum primi illi auctoritate plurimùm apud Reges Maiestatem imperij Francici adhuc virtute suâ sustentantes pollerent, postremi etiam Regibus post Dagobertum extinctum, socordiæ ac luxuriæ fœdè se dedentibus, potestate regni arbitri forent: perfacile ipsis fuit, siue Regũ beneficio, siue suo postea nutu, quæcumq; vellent, etiam hereditario iure occupare, possidere, donare, distrahere. Sicque Austrasiæ inferioris partem magnam Pipinis, illorum consanguineis Hasbaniam, Taxandriam, aliaque in Flandriæ sinu peculia obtigisse propè certum est. Et D. quidem Bauo, plurimas, quas circa Gandam ditiones possidebat, excitando & dotando Canonicorũ illic Cœnobio matrimonij vinculo solutus, ibidemque & ipse Clericus B. Amandi manibus tonsus, magno seculi cõtemptu & rarâ pietate impendit. Cuius iterum exemplo B. Trudo in auitis prædijs Sarcinienſis, & alterius Brugensis Cœnobij fundamenta iecit sub an. 647. Illi opes Robertus adiecit, qua de re superiùs, anno circiter 746. Addo hunc eundem, quem Reu. adm. atque Ampliſſ. D. Ioan. à Wachtendonck Metropol. Eccl. Mechl. Dec. & ibidem Senator Reg. Adelisæ Liberti matris germanum mecum existimat, S. Trudonis pronepotem fuisse, mihi pronum suspicari. Ad hæc Adelisam ab Adela (quæ ambo nobilitatis sunt nomina) S. Trudonis matre miraculorũ famâ perquàm celebri, cuius abneptis esset, vocatam fuisse, res æquè ac voces probant. Et quia per has plureſque, sanguine Pipinorum & Hasbanorum iterum permixto vtramque sæpius familiam coaluisse syntagma docuit, hîc non repeto, & tantùm indico, ne maternum Liberti auum nescias, Robertum in illis suæ largitatis tabulis Lamberti se filium appellare: vt Elisa fortè cùm fillum aui nomine insignire vellet, non ægrè tulerit, voce non admodum diuersâ Libertum à Rumoldo nominari. Atque hactenus his ita discussis illud perbellè accidit, vt de paterno genere ferè tantùm sollicitis, & admotâ face auxièque scrutantibus, maternum etiam cum altero de claritudine certans, in tenebris occurreret, quod quidem Pipinorũ sæpe iterũ stemmati insertum, & Ducali Comitatusque titulo nobile, pietatis non minùs & munificentiæ prorsus regiæ perpetuis monumentis apud posteros celebratur. In paterno verò stemmate eruendo cùm superiùs facula laborarit,

Cap. 14. historiæ S. Rumoldi.

laborarit, hocque sibi proprium saltem præstitisse visa sit; vt si adspectui multa non subijceret, in alijs errores & errandi causas detegeret:

(Homo qui erranti comiter monstrat viam, Ennius.
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit.)

Nunc fateor, vt ex perplexo hoc Labyrintho euadam, non tam mihi facem, quàm scintillam, in tenebris prælucere. Tenebris iterum cum Lipsio queror; *quòd malo fato, neq; nostrâ neq; altâ linguâ, res maiorum curiosè & fideliter prodita.* Quis enim in Veteribus illis simplicitatem aut torporem non incuset, qui cùm Adonem Pipini regis prosapiâ ortum scriberent, non patris aut matris nomen, siue ad fidem firmandam, siue vt lectorum desiderio fieret satis, adiunxisse curarunt? Non tamen nescius sum, quod eos magna ex parte à culpa liberat, obiter magis & per occasionem suscepti hospitio Rumoldi, filijque impetrati, quàm de industria, Adonis genus memorasse. Verùm hoc vnum instar multitudinis, quòd constans adeò Scriptorum consensus, regium hoc ex Pipinis stemma deriuet, sitque argumentum iste balistâ quauis validius, quod non æqui tantùm, sed morosi etiam, difficilisque antiquitatum arbitri animum expugnet, vt manus tendat, & assensum præbeat. Scintillam tamen, de qua modò, viam mihi suo signantem lumine demonstratum eo. Drogonem Pipini Herstalli ex Plectrude filium, Campaniæ Ducem in actis Sancti Swiberti appellatum, numerosam sobolem ex Austrude Varathonis Prætorio Præfecti filia generasse lego. Fuerunt in his Arnulphus, Hugo, Godefridus, & Pipinus. Adhæc in Francorũ annalibus à Gramaio productis habes iunctim Arnulphum & Adonem Mechliniæ Principes, eodem tempore præfuisse. Sed quod anuum 840. designent illi; quis errorem siue in arithmeticum numerum, siue etiam in historiam irrepsisse non putet? Equidem inter propè innumeros quos percurri, rerum Francicarum annales; in eos, quos ille putat, nondum incidisse me fateor: verùm causas neq; leuis eas momenti, quibus vitium inesse probem, has habeo. Inprimis, quòd secundi Adonis Mechliniæ Comitis ne per somnium quidem mentionem factam reperias; præsertim quod primi illius genus in Liberto Clerico feliciter arruisset. Deinde quòd sub Liberti cædem & ante annum 840. Mechliniam Danorum facibus arsisse, suisque sub

Sur. t. 1. l. 2. sect. 2.

Digitized by Google

ruinis sepultam fuisse constet: vt frustra ad imperitandum lapidum aceruis meræque solitudini, duo simul Principes eodemque anno constituti appareant. Accedit quòd nostrates fasti, atque ex his Ioan. Domyns in historia sacra versatus tradunt, Adonem Liberti patrem, Machliniaenam Prouinciam à prima penè ætate gubernâsse: quod certè sub patre Arnulpho contigisse putandum est. Verba Domyns hæc sunt in Vita S. Rumoldi: *Quando Mechliniam aduenit Rumolaus, commorabatur sibi Archi-Comes praclarâ Pipini Regis stirpe progenitus, Ado nomine, Prouincia illius à primis annis gubernator.* Deniqúe annales illos Francorum à mendo liberos neque ipse Gramaius asserit, quòd, inquit, alij conformiter quoque, vt iactant, Francorum historiæ, alios Mechliniæ Principes extincto Adoni succenturiant, Razonem, Bogdem, Arnoldum Grimberganum Razonis generum, Bertholdum virum virium & virtutis inclytæ, vnde eius nomen, posteri in cognomen verterint Grimbergensis familiæ. Si igitur, quod prorsus facto opus vides, in notæ vnius numeralis locum numerum alterum 740. reponamus; pulchrè & ordine post Arnulphum, cum quo Ado imperij velut heres seu Candidatus rexerat; hic solus anno 753. rerum summâ Pipini regis ac affinis beneficio potitus dicetur: simulque & Adonis ex Pipinis genus eluceseet, vt huius pater Arnulphus ex Drogone fuerit Herstalli nepos; & cognitu procliue erit, quâ viâ ad Elisæ nuptias Ado peruenerit. Notitiam enim primùm vicinia fecit locorum Hasbaniæ & Mechliniæ; tum vtriusque stirpis claritudo & primarius splendor: & quòd Landrada Car. Martelli filia, Arnulphi verò patruelis in Sigirammi Elisæ, vt diximus, fratris thalamos conceßisset. Scio quidem, quod obijci posset, Francorum aliquos Arnulphum Drogonis filium, Burgundiæ Ducem inscripsisse: de quo quidem quid sentiam aut loquar, non habeo; nisi quòd vel ditionem vtramque, nostramque potissimè per Adonem filium perquam iuuenem, vt Domyns dixit, gubernârit: aut quòd vicaria Burgundiæ Præfectura à Martello, quam anno 727. adijt, exutus, & aliò translatus Machliniæ gubernacula capessierit, vel vt paucis istis contentus esset, iussus fuerit. Moneoque tandem scriptores quosdam errore lapsos, de quibus dissertat. 3. Malinas & Salinas (quæ euidenter in Burgundia) confudisse; simulque illis & alijs errandi occasionem ex nominum similitudine exortâ videri.

l. 2. fol. 2.

Quod

Digitized by Google

Quod idem in nominibus Berulphi, de quo Gramaius, & Arnulphi, de quo hîc agimus, accidisse, à vero non magnoperè alienum duxeris. Sic expeditus, in alio anfractu sed leuiore versari me fateor: quòd ætatis tantum, quantum vulgi sententia Adoni tribuitur, sic conficere omninò non possim. Neque enim tantũ plerique, illum, cùm ex coniuge Libertum sustulit, senio confectum dixêre; verùm etiam recentes aliqui, quorum nominibus parco & semel suam imperitiam condono, nullo iudicio ac tragicè multa fidem excedentia confingentes, 66. annos coniugij cum Elisa absque spe prolis exegisse, nescio vnde tradidêre, nisi ex Theodoriti perperam intellectis uerbis, qui cap. 3 par lectissimum coniugum Abrahæ & Saræ eleganter comparauit, nisi quòd tertius Isaac deesset: quæ non statim ad ætatem, sed ad sterilitatis morbum eximiamque illorum virtutem referenda esse, nemo non videt. Et quidem viginti amplius annos post susceptum filium, postque cædem Rumodi, quæ an. 775. contigit, Adonem vixisse euidenter compertum est, à quo & Martyris corpus aquis extractum, & honor tumuli impensus legitur. Deinde intempestiuum satis videtur in tam effetis senibus, heredis ac filij generandi desiderium. Postremò quod hîc primas tenet, nihil prorsus de eorum senio Theodoricus Abbas Trudonopoleos, à cuius fontibus suos duxêre riuulos Auctor Agiologi Brabantinorum, alijque, qui maiorum ætate scripserunt. Certè vt fidei humanæ non paullo vicinius, sic non ita grauis est negotij ostendere, cùm filium Ado progenuit, quinquagesimum saltem annum superasse. Potuit enim & debuit iam ante an. 708. (quo Drogo rebus humanis excessit multa prole post se relicta) ex Arnulpho primogenito natus fuisse; quòd nouemdecim pòst annis, Anno scilicet 727. Martello Europæ vindici, contra Saracenos strenuam operam nauasse memoretur, atque adeò quidem, vt ob res contra eos insigniter fortiterque gestas Dominium Mechlinienſe perpetuò possidendum à Pipino Martelli filio accepisse, cum pluribus scribat Amplissimus D. à Wachtendonck. Qui deinde ab anno illo natali, qui colligi potest, vitam vsque ad an. 775. Martyrio Rumoldi nobilẽ & porrò propagans, iustam naturæ legibus ætatem peregisse prudenti cuiuis censendus est. Cetertùm ista tuo, æque Lector, iudicio finienda permitto: neque enim hic mihi animus, vt in re tam obscura ac inserta, contra

Cap. 14. vit. S. Rumol.

pleroſque

plerosque nouus auctor haberi velim: & longè latius existimo, præsentem ignorantiam fateri, quàm imperitiam prodere, aut audaciam temeritatemque profiteri. Verissimũ enim, quod in quibusdam lacinijs appendicum Bucherius: *Vides, amice Lector, quanto-perè in his tam abstrusis, tam vetustis laborandum sit; vt non mireris, si curis secundis ac tertijs semper aliquid castigandum aut addendũ occurrat.* Veram causam huius aperuit Heuterus Delfius in stemmate Habspurgico circa an. 766. desudans, quòd *Tanta fuit hominum eo tempore simplicitas, aut Barbaries, vt in re parui momenti essent nimij: cùm verò diligentia opus erat, dormire aut aliud agere diceres. Cui accedit, quòd tot seculorum decursu, ac varijs rerum vicissitudinibus, multorum diligentium Scriptorum labores interierint.*

Apud Chapeauil tom. 2. de gest. Leod. Pon. Cap. 3.

DISSERTATIO II.

Mechlinienſis Adonis Comitatus, & Dominium Mechliniæ directum & vtile explicatum.

ADonis & Eliſæ genus, quoad vires tulêre, executus: ad honores & decora progredior; inter quæ Comitatus Mechlinienſis, *Velut inter ignes Luna minores.* Et quia plerique volunt Mechliniam fiduciario titulo poſſidendam Adoni à Pipino datam, hoc eſt, quoad Dominium vtile, ac velut in beneficium ſeu feudum, certis conditionibus conceſſo poſteris iure ſuccedendi: operæ pretium facturus ſim, ſi quibus illa Dominis Directis, vt vocant, pridem paruerit; quibus quoque vtilibus & beneficiarijs regenda, ſiue poſſidenda ab ijſdem conceſſa fuerit; ex antiquitatum eruere monumentis annitar. Poſt quæ de Comitatus nomine, poteſtate, alijſque ad rem propiùs, etiam pertractabo. Breuiter Gramaius: *Dominus directus fuit anno 753. Rex Franciæ dans Mechliniam fiduciario titulo poſsidendam affini ſuo. Nec dubium, quin ſecuti Pipinum Reges aut Cæſares, idem iuris habuerint: & poſt, & per eos Reguli ſiue Duces Lotharingiæ.* Et Zypæus in nouo Iure Pontif. *Mechlinia antiquitus iuris Imperialis fuit, cum acceſſoria tantùm eſſet Ditionis Grimbergicæ; ac Brabantiæ Dux, vti Lotricij Dux, eoque nomine Imperij Vicarius, à Dominis Grimbergha fidelitatem*

Gram. l. 2. Mechl. f. 83. Val. Andr. in Bibl. Belg. litt. M. Haræus in Pipino VVachtend. in vit. S. Rumoldi.

Loc. cit.

Tit. de Reg. Domib

Digitized by Google

fidelitatem exigeret. Fuit igitur primis retrò temporibus Auſtraſij regni exigua portio: & Francis iam tum parêre didicit, cùm ſenescente, & mole ſuâ ruente peſſum Romanorum Imperio, continuiſque inundantibus Barbarorũ diluuijs, illis ſedes Valentiniani fœdere in Gallijs datæ, Rex conſtitutus, regnique ſtabiliendi & augendi, dum tot atrocibus bellis Romanæ vires atteruntur, ſuppeditata facultas. Et quidem Clodouæo Rege an. circiter 482. plures qui Belgicam obtinerent, Francorum regulos recenſet Turonenſis, Coloniæ Agrippinæ Sigebertum, Cameraci Rachnacarium, ceteræ partis velut in medio ſitæ Chararicum: quibus omnibus cum liberis immani Barbarie à Clodouæo interemptis *regnum ſuum per totas Gallias dilatauit*, ait ille tribus capp, effera Clodouæi in gentis ſuæ Duces & conſanguineos facinora proſecutus. Hoc extincto ſub an. 511. regnum omne primâ diuiſione & æquâ veluti lance in Auſtraſiam & Neuſtriam à filijs diſtractũ & poſſeſſum; Illaque, quidquid terrarum ab extremis Burgundionum finibus vſque ad mare Friſium, intra Rhenum & Moſam ſupernè, infernè inter illum & Scaldim fuit, complexu ſuo coercuit. Poſtea Clotario eiuſdem rege ſub an. 623, cùm Pipinus Senior Domûs regiæ & limitis Antwerpiani Præfectus, Brabanti ſoli plurimùm genio caperetur; Landis nunc oppidulo, tunc palatio illuſtri, à quo etiam Landenſis cognomentum duxit, vſque ad vitæ exitum conſedit: eiuſque exemplum poſteri ferè ſunt ſecuti, donec ad ſceptri Francici culmen euaſerunt. Hos apud primæ claſſis hiſtoricos, Brabantiæ ex ordine Duces nominatos ſubinde reperies; non quòd ampliſſimam ditionem, ſaltem omnem, iure proprio ac velut à reliqua Auſtraſia diuulſam poſſederint aliquando: ſed quòd Regibus otio luxuique deditis, cùm penes aulæ Magiſtros rerum eſſet adminiſtratio, quidquid collibitum erat, gerere, poſſidere, & elargiri ſuo quaſi nutu poſſent. Breui autem poſt tempore Pipino ad ſceptrum Franciæ, Car. Magno eius filio etiam ad Imperij faſtigium euectis, moueri auitis ſedibus regna cœperunt; & palam ſub an. 843. Ludouici Pij filijs paternum inter ſe regnum partitis, quidquid Auſtraſiæ nomen obtinuit, fixâ & fatali velut lege Imperio in Imp. Lothario attributum fuit. *Vaſtum ſpatium*, inquit Lipſius; *cui nouum placuit nomen imponere, & ab hoc Lotharium, vel noſtro verbo Lotharyckiam (quaſi regnum Lotharij dicas) appellare. Poſteri aut*

l. 2. c 42.

Turon l. 3. c. 3. Sigeb. in Chron.

Ado Vien. in Chron.

aut exteri deprauarunt, & multus Lotharingiam dixerunt. Neque verò Franci, licet armis obstiterint, & obtorto, quod aiunt, collo ad se retrahere conati; efficere potuerunt, vt illa Imperiales aquilas minùs ambiret, & Imperij sortem sequeretur: præsertim cùm Normanni has passim partes invaderent, & Galliæ reges tuendis

Louan. l. 1. cap. suis non essent; factum, vt Germani totam eam sui iuris facerent, quod cœpit Arnulphus ille victor Normannorum, *Nec iniuriâ*, inquit Lipsius, *iam ipso è faucibus eorum eripuerat, & iure quodam manuum habebat.* Anno denique 921. Car. Simplex, Francorum

Flodoard. in Chron. Rex, armorum terrore ad restituendum, quidquid in Lotharingiâ sibi vendicarat, ab Imp. Henrico Aucupe compulsus, comitijs apud

Continuat. Reginonis. Bonnam inter reges præsentes habitis, Carolus nunquam Lotharienſe regnum sibi porrò vsurpaturum pollicitus, in Franciam est regressus. At verò Auceps, vt turbandæ in posterum Austrasiæ spem omnem Francis præcideret, Giselebertum, datâ ei in coniugem filiâ Gerbergâ, primum omnis Lotharingiæ beneficiarium Ducem appellauit an. 929; alijque deinceps eodem illam titulo & tanquam Imperij feudum administrârunt, donec sub an. 977. in Superiorem seu Mosellanam, & Inferiorem siue Ripuariam diuisa est: duoque Duces alter ad Mosellam, ad Mosam & Schaldim alter, singulis singuli gubernandis à Cæsaribus attributi. Perseuerarunt autem in Imperij fide, huiusque Vicarij, vt superiùs dictum, habiti & appellati, quibus ceteri Lotharingiæ Reguli ac Toparchæ fidei sacramentum dicerent. Primus, qui Imperij iugum in

Vide Diuæ S. in Godefr. Barbato. Hare. Ann. Delfi l. 6. fol. 94. & l. 5. Grã. append. ad Mecl. ipſ. in Louan. l. 2. c. 9. & l. 1 cap. 11. Austrasia inferiori aspernatus, Walterus Grimbergæ & Mechliniæ Dominus, nobilissimæ, potentissimæque & clientelis, & affinitatibus Bertholdorum familiæ caput; & qui penè ab ipsis Bruxellæ suburbijs, Grimberganis, Mechlinienſibus, Turnauthanis, Gelenſibus, alijsque vsque ad Myricetum Postuleuse imperaret. Exigebat clientelam Godefridus Barbatus Louanij Comes, Lotharingiæ Dux à Conrado Imp. iam ab anno 1006. designatus, cui compertũ erat Bertholdos semper paruisse. Illi primùm imperata detrectare, cùmq; obsequia diu Ducibus recusassent, etiam arma sumpserunt; sed fortunâ causſam secutâ post pugnam inferiores fuerunt, & Dux primi illius nepos demum an. 1144. Mechliniam

Gram. append. fol. 4. Fisco suo addixit tenuitque, donec Cæsaris hortatu Bertholdis in gratiam receptis an. 1163. legem imposuit, vt Grimberga Ducis,

Mech-

Digitized by Google

Mechlinia Grimbergæ esset beneficium, quod maior natu de iunioris manu feudorum more acciperet. Atque istos quidem Bertholdos, in ordine Vtilium Dominorum Mechliniæ (ad hos enim transimus) primos facit Heuterus Delfius. *Vetustissimi*, inquit, *Mechlinienſium Domini, Proceres fuere Bertoltj, clarum ac peruetustum apud Brabantos aliquando stemma, quorum tanta olim fuit potentia, vt cum Brabantiæ Ducibus, Godefrido nimirum primo, secundo, ac tertio de rerum summa acri bello decertare non dubitârint. Sed tandem victi, ac in ordinem redacti multa amisere, continuisq; bellis opes attritæ, non pauca vendiderunt, ac inter cetera Ecclesiæ Leodiensi alteram Vrbis Mechlinienſis partem, quam circiter an. 1300. Hugo Antistes Leodiensis vendidit Ioanni 2. Brabantiæ Duci, parti alteritū imperante Ioanne Bertoltio &c.* In Carolo Pugn. fol. 174.

Sed multa in his paucis Heuterus perperam. Quod enim Bertholdos vetustissimos Mechliniæ nisi nomine, non re Dominos velit, errare certum est. Nam *Arduennæ* imprimis *Comites* iam an. salutis partæ 500. Mechliniæ imperasse, ex Harigero Abbate Gramaius refert; quorum quidem *Guido postremus illam Monulpho Comitis Dionatensis filio an. 551. vendidit, hic eandem cum Iupilia & Capræmonte donauit Ecclesiæ Leodiensi, vnde opinor*, ait, *passim vocari Patrimonium S. Lamberti in veteribus chronicis.* Subdit: *post hunc inuenio apud primæ classis historicos Berulphum*, forsan Arnulphum *Comitem Mechlinienſem sub an. 714.* Certè historicorum omnium fide Adonem Liberti patrem ab anno ferè 730. vsque ad 775. Malinatibus iura dedisse exploratum est. Habes & alios post Adonem, ibidè à Gramaio recensitos, Bogdem ex scedis Pithœi sub Ludouico Pio. an. 823. & Bertholdum an. 895. quem illius nepotem non dubito, qui apud Baronium in actis Canonizationis S. Swiberti laudatur Bertholdus de Grimberges, de quo nos plura dissertat. 5. Ab his verò propagatum Bertholdorum stemma, in eam breui potentiam excreuit, vt post annum 100. Lotharingiæ siue Brabantiæ Ducibus clientelam abnuere, & cum eis aleam de rerum summâ Marti permittere non sint veriti. Neque tamen sic postea victi, & in ordinem redacti, quod ait Pontus; vt auitis opibus & titulis diu carerent, sed Cæsaris voluntate citò in gratiam recepti, & in bona, præposterâ licet illâ feudorum lege impositâ, remissi fuerunt; vt futile sit prorsus de dimidiâ Mechliniâ Ecclesiæ Leodiensi venditâ commentum,

l 2. Mech. sect. 2.

Tom. 9. ad an. 804.

Meierus lib 5. Annal. Fland.

Digitized by Google

cùm eam neque possessionibus fisco addictis distrahere potuerint, neque in eas restituti, vt id facerent, rerum inopia aut necessitate vlla adacti videri possint. Ab altiori longèque diuerso principio Leodicæ Ditionis in Mechliniam iura repetenda: quod quidem vberiùs disputandùm (nam multæ hîc ambages, licet summa legas fastigia rerum) ne nimium hîc prolixus sim, in Dissertationem 6. reijcio. Satis sit exerto digito indicasse, post an. 1000. Leodios, & Bertholdos Vrbis inter se imperiũ aliquod partitos diu admodum vsque ad annum 1333. innouatis sæpius pactis vnà rexisse, donec rescissis aliquot venditionibus, semel illi & simul Flandriæ Comiti Ludouico, hic Ioanni Brabanto an. 1346. ius suum transmisere. His de Dominio Mechliniæ directo & vtili clarè expositis, ad Adonis Comitatum postliminio regredior, dicturus breuiter, quid Imperij priscis illis temporibus vocabulum Comitis signârit: deinde an perpetuo iure succedendi hic ad posteros manârit titulus? Certè id nominis Ciceronis æuo, non Heroas illos quos postea, sed adiutores & Imperij ministros, qui cum Legatis & Magistratibus in Prouincias missi, præcipuè expresit. Testis ipse Tullius act. 4. in Verrem, & ad Qu. frat. Ex quo compertum est, iam tum munus aliquod publicum, verùm ordinis infimi notâsse: erantque Præfecti minores, Scribæ, Accensi, Aruspices, Præcones, alijque, quos adminiculatores negotiorum, Prouinciarum Rectoribus ipsa dabat Respubl. Emersit pòst aliquanto ad dignitatẽ vis verbi, & Plinio Comes Largitionis dictus, qui Impp. erogandis donatiuis præerat. Palamque sub Constantini tempora, quos sibi propiùs illi ac familiariùs adhiberent, aut in palatio rei familiari impositi; Domorum, Stabuli, horreorum, laborum Comites, sed frequentissimè palatij, siue Palatini appellati, de quibus plerisque in Cod. Iustinianus. Rursum ab his fluxisse videtur, vt quia ex eo ferè ordine ad Prouincias, bellique ac pacis res gerendas profecti fuêre; præteritis Præsidum, Proprætorum, exercitûs bellique Ducum nominibus, omnes, quibus summa quædam potestas militiæ togæque commissa foret, Comitum titulum de more præferrent, hoc tantùm discrimine, quòd qui in aula munere aliquo aucti, Palatini; qui verò regiones iustitiâ temperabant, Prouinciales *Iuris ipsius authoritate vocarentur*, vt ante annos ferè 500. locutus est Ioan. Saresberiensis Carnotensis Epis. Exemplis in re obvia

Budæus.

epist. 263. à Masson edita.

Digitized by Google

obvia parco. Tales enim apud vnum Ammianum Carietto per vtramq; Germaniam Comes, Seuerianus item Comes Diuitensibus (nunc Tuitiensibus) inter Vbios & Tungritanos præfectus: Valens quoque & Clemens cum Maximino Treuirensi & Seruatione Tungrensi Episcopis, à Magnentio Tyranno ad Constantinum Imper. legati. Tum in Notitia Imperij sub Arcadio & Honorio, Comitem Africæ Tingitanæ, littoris Saxonici, Britanniæ alioſque confertim legis. Et Prouinciales quidem, quod in Proconsulum ac Proprætorum locum succesſerant, præter curam tuendi Imperij iuris æquè inter subditos, siue in ciuili, siue in re criminum dicundi potestate præstiterunt; adeò vt Greg. Turonensis de S. Nicetio loquens, Armentarium Comitem dicat Lugdunensem vrbem *potestate iudiciaria* gubernasse. Eadem porrò illorum sub Francis Regibus iurisdictio fuit. De Carolo Magn. Aimonius: *Anno 793. ordinauit Carolus Comites Abbatesq;, necnon alios plurimos, Vassallos vulgò vocant; eisq; commisit curam regni, finium tutamen, villarumq; ruralium prouisionem.* De iudicijs per ipsos agendis eiusdem Caroli Capitulare lib. 4. cap. 5 partitè ac distinctè: *Volumus*, inquit, *vt Comites, qui ad custodiendam maritimam deputati sunt: quicumq; ex eis in suo ministerio residet, de iustitia facienda se non excuset propter illam custodiam, sed ibi secum suos Scabinos habeat, si ibi placitum teneat, & iustitiam faciat.* Similia habet idem Capitul. lib. 2. cap. 6. Post Carolum Ludouicus Pius filius & Imperij heres, Missos Dominicos (id est, Commissarios, vt hodie vocant, inquit Miræus) & Comites in plerisque Prouincijs an. 822 constituit. Deniquè Car. Caluus in comitijs Siluaci habitis an. 853. regnum penè omne in 12 Missaticos seu Prouincias partiuit, in hisque pauciores pluresue pagi, & Comitatus pro eius arbitrio descripti. In tertio Missatico, inter alios Cortracensis & Flandrensis pagorū meminit. Fuêre igitur Comites totius alicuius pagi, Gallicè Pays & Comté, Præsides, Iudices & Moderatores summi. His proximi Vice-Comites, Burgrauij, siue Castellani, de quibus post Flor. Haræum fusè Miræus. Hi vice Comitum opidis præerant, publicorum carcerum curam gerebant, sua quoque tribunalia ad ius dicendum habuêre. Verùm, vt puto, Procuratoribus Romanorum similes; vbi res cogebat ius inter Prouinciales dici, poterantque eorum iudicia & acta ad disquisitionem Comitis vocari. Istis suberant alij

Lib. 27.

lib. 5. cap. 1

In Chron. ad an. 822 & Cod. Donat. l. 1 cap. 5. Miraus ad eum anno.

Har. l. 1. c. 2. Mira Cod Donat l. 2. notat. ad cap 76.

Vide Lipſ in 13 l. Taciti. lit. B.

Digitized by Google

Verba Diplomatis. *Dominium Mechlinienſe iterum in Comitatum nobilem & perpetuum erigat, & inſignia eius vel ſcutum duabus citimis (* imò *citrinis) & rubeis ſecundum longum interiectis meliorare conſtituens, aquilam nigram expanſamque, prout Imperatores ferre conſueuerunt, adiecerit.* In quibus tamen Nobiliſſ. Dominus, Henricus de Huldenberghe, dictus Vander Borch de Moerſeca, ex familia equeſtri, Vrbis Senator antiquitatum peritiſſimus, & cuius humanitati permultum debeo tribuoque; multa perperam, & ſecùs atque Diploma habet, relata corrigit. Nam præter illud; *Citrinis*, à me repoſitum, de aquila aduentitiâ aliud prodit, quam non vt Cæſares, geminam ſeu bicipitem, ſed vt Romanorum Reges, ſimplicem præfert Mechlinia: ſicque conceſſit an. 1490. Imp. non Maximilianus ille, ſed Fredericus huius pater in gratiam filij Belgarum principis & Imperij candidati, vt Diploma viſu mihi fidem fecit. Addit tamen meritò Gramaius: *Inſignia ſeruat Vrbs, & in ſigillo nomen Comitatus; cur autem ſecuti Belgarum Principes non Comites ſe, ſed Dominos dumtaxat ſcripſerint, & ſcribant, mihi hactenus non liquet.* Antequàm verò diſputationi finem imponam, moneo veriſimile admodum mihi fieri, priſcis illis temporibus Caſtellanos ſeu Vice-Comites Bruxellenſes, Furenſes, Grimberganos alioſque, de quibus Miræus in Cod. Donat. Belg. lib. 2. & quorum Titulis nobiles familiæ hodieque gaudent à Miræo ibidem multis enumeratæ, Mechl. Comiti paruiſſe. Adeò Mechlinia tunc neque ignobilis, neque infrequens, vt vicina opidula illius Imperium aſpernari debuerint. Tantùm de Andouerpia ſeu Marchia Rhienſi dubitare quis poſſit, de qua Lipſius: *Marchiam vocamus limitem Lotharingiæ ad Scaldim ſu. quem Regnum Rienſem olim dixerunt, qui continebat Antwerpiam hanc nobilem, Liram, Bredam, Herendatum, Bergam & Campinia multos pagos. Nos quippe vetus habebat, ad limites Imperij aut flumina, Marchias iſtas habere & in eis præſidia contra hoſtes.* Sed hanc Adoni quoque creditam fuiſſe in Syntagmate opinatus ſum, quòd poſt Rohingum, qui Andouerpæ ſub an. 725. Princeps reperitur, Marchionum ſeu Rhenſium Comitum ſeries hæreat. Et alter euidenter Rhenenſis, quàm Renenſis pagus, cuius Cancor fuit ſub an. 760. Comes; cùm in illo Wormatia & Lauriſſa Cœnobium cenſeantur. Verùm de his hactenus, de veteri Mechlinia & natali Liberti ſolo iam ſermonem aggredior.

Matt. ad cap. 76.

DIS-

DISSERTATIO III.

Patria Liberti, siue Antiquæ & ante Normannica tempora Mechliniæ forma.

MECHLA *faue, tibi surgit opus; date candida, Ciues,*
Omina: & incœptis dextera cantet auis.
Sacra dieſq; canam, & cognomina priſca locorum.
Has meus ad metas ſudet, oportet, equus.

Propert lib. 4. eleg. 1.

Hodiernam Mechliniam ſic hoſpitibus viſendam, exteris & longè poſitis admirandam celebrat Abrahamus Ortelius. *Mechlinia ad Diliam flu. loco plano, in agroq; fertili, terrâ leui & ſubarenoſâ, omnigenûm fructuum feraci, modò debitus cultus impendatur. Vrbs mœnibus & ſitu imprimis munita ob aquarum copiam, quibus ex Oceano per Scaldim ſtatis temporibus ad hunc vſque locum reſtagnantibus, facilè, quotieſcumq; vſus requirit, circumiacentem agrum magna ex parte inundare faciunt. Exigua admodum eius feruntur initia, & non ita longo temporis tractu in eam, quæ nunc eſt, amplitudinem excreuiſſe. Nunc ædificiorum venuſtate, viarum aptâ & eleganti diſpoſitione, pontibus lapideis, templis præterea ac turre altitudinis admirandæ inter omnes Belgicas Vrbes conſpicua &c.* Et Maxæmil. Vrientius S. P. Q. Gandauenſi à Secretis, in Vrbibus Brabant. paucis metris omnia propè Mechliniæ noſtræ decora ſic complexus canit:

Itinerario.

Maieſtate fori, ſacroque *verenda* Senatu,
Arx legum, & Domina meta ſuprema toga.
Arx eadem armorum, Fornax Vulcania, *concors*
Palladis armigeræ, legiferæque domus.
Clara viris, *ſpatioſa* viis, *argentea lymphis,*
Cœlo hilari, poſitu commoda, pulchra lare.
Tota increta ſolo, & pariter diſcreta Brabanto,
Vrbs *ſimul, & regio diuite diues agro.*
Gemmulâ munditie, Rumoldi mole *decora,*
Pontifice *& Clero magnificè aucta ſacrò.*

Vrient. in Vrbib. Bra.

Omnibus illustris, lux & nitor vndiq; amœnus,
Quam nisi Mechliniam, Melliniam esse putes.

Paneg. 2. in Antvv. restitutam

Non igitur semper talis, qualem his in Tabulis tibi exhibent periti Typographi. Fuit tempus, cùm illud Bochij nondum verum:

Proxima Bruxella, pulchra est Mechlinia muris.

Nam ad veri normam Lipsius: *Labuntur vt amnes, anni. Quis in illorum volubilitate, prima scaturiginis lympham eliciet primam? Et quis in tot saculorum densâ nocte aurorum primam, Lunam, Solemne designabit primum? Luserunt varij, prout ingenium tulit cuiusque varium, amorue traxit in retrusiora. Dij Deaque, quàm non vana solùm, sed ridicula! & pueri qui fari incipiunt, aspernentur.* Vt enim cum Gramaio *Mallos* apud Stephanum, *Mechlæos* apud Lucianum Indiæ populos, *Malios* Mesopotamiæ ex Strabonis lib. 16. *Malinopolim* vrbem circa Bithyniam præteream, vnde ridiculi aliquot Antiquitatum buccinatores, Mechlinienſium Procreatores educunt (adeò enim verum illud Lipsij: *Ab Hectore & Phrygibus, aut Romanis, sine etiam Scotis petimur, & series deindè texitur*) Quis risum vel infantissimus teneat, dum Iacum Viuarium, à Walis, hoc est peregrinis, quos reliquias siue Coloniæ Romanæ, sine Aboriginum superioris Prouinciæ, metu Francorum diu per horrida siluis loca palantes facit, vbi tandem è latebris emerserint, Mechliniæ veteris fundamenta iacta, proprioq; & vero nomine Waliniam primùm dictam, irrito videt conatu velle euincere? Quis verò Iac. Zusij lenitatis iure non succenseat, qui Mechliniam ab insigni Michaelis Archangeli; aut propolio, cuius herus Michael nuncupabatur, dictam eâdem fide obtrudit? vt meritò exclamet quidam, *Rem filo, quàm stilo digniorem?* Quis non pari causâ Beniamini, & quorundam opinionem de Salinis repudiet? Poëticam allusionem potiùs, quàm fidem Historicam agnoscat? ita enim furore penè Sibyllino Occultas canit ambages:

In Louan. lib. 1. cap. 1

l. 1. Mech. sect. 5.

In Louan. lib. 1. cap. 1

lib. 1. c. 10

Valer. Andr in Bibl Bel. lit. M.

Tandem pervenit ad vrbem,
Vrbem, quam Veteres quondam dixere Salinas:
Quam, quia multorum causa extitit illa malorum,
Dum non vult dominas Eburonum agnoscere gentes,
Nomine mutato Iuuenes dixere Malinas.

Beniamini Itinerario Maximil. Cæsaris 1.

Verum etymon, neque enim de initijs plura (quippe iuxta Lipsij scitum, *Æterna ferè cupimus, qui amamus impensiùs*) quamvis diu multum-

Digitized by Google

multùmque, & peranxiè in arena Grammatica ſudes, nuſquam feliciùs & facilius, quàm in illo Pipini Regis ſæpe citato diplomate, in quo *Maſlinas Francis, Maris lineam ſonare* dicitur, proditum reperies. Ad eam enim notationem, notitiam nomenque huius vrbis, quamvis tot formis, quot Prothea, varium referre citra laborem potes. Illas porrò voculæ vnius metamorphoſes tam ſimilitudine diſſimiles, quàm apiculis & literulis numeroſas, neque tamen omnes, legis apud Gramaium: populariter Latinis Mechliniam, Incolis Mechelen, Gallis Malines, *antiquis* Maſlinas, Magliniam, Machelam, Melinam, Malinis, Maliniam, Machelinam, quorum auctores ibidem annotat. Addo alia, Maclines ex diplomate Eccleſiæ Leodicenæ an. 1008. à S. Henrico Imp. conceſſo promptum: Scripſêre alij, Maclinia; & ſingulari Malina edidit Molanus in natal. SS. Belgij: vbi & idem gloſſema adijcit; *Quæ vox nunc extra vſum eſt, in Latino ſermone aliquando tamen tritiſſima fuit, quando Lyra opidum vicinum, Ledo nominabatur. Ledo autem & Malina leguntur pro maris receſſu & acceſſu in appendice ad tom. 3. Auguſt. in lib. 1. de mirabilib. Sacræ Script. cap. 7. & alibi. Vnde à maris fluxu hæc nomina indita eſſe ſupradictis opidis, annotatum eſt ante annos 300. in Hiſtorijs de SS. Rumoldo & Gummaro manu-ſcriptis.* Ita optimus antiquitatum Belgij promus & condus Molanus. Quibus ſimillima ſcribit Thodoric. cap. 3. Vit. S. Rumol. Fit vtriuſque nominatim, Malinæ & Ledi ſingularis mentio, in diuiſione regni Lotharij anno 870. æquis portionibus factâ, atque inter loca, quæ Caluo cum tota Lotharingia Cis-moſana ceſſêre, reponuntur. Hîcque ex occaſione, ad proximam diſſertat. auctarij vice hanc notam ex Haræo adijce: Lotharingiâ Inferiorem ſiue Ripuariam, in Cis-Moſonam, vbi Heriſtallum & Brabantia; & Tranſ-Moſanam, cuius caput Aquiſgranum, iterũ à poſteris fuiſſe diuiſam. Itaq; Mechliniæ etymo ſic cognito, ad naturæ notitiam, quæ vocũ involucris plerumque tegitur, certo rectoque tramite pertigimus: apparetque non magni negotij D. Rumoldo fuiſſe, colligere; quò per Angelum præco Euangelij futurus, & Martyrij donandus laureâ legaretur, iuſſus pedem figere, vbi naturâ iuxta Lunæ vices ſtatamq; vertiginẽ, mare labi & æſtu impelli deſineret. Nunc autem

Noſſe ſitum, decora & formas, habituſq; locorum,

Vt ait Poeta, operæ pretiũ; grandæuæ illius atque anus Mechliniæ,

l. 1. Mech. ſect. 2.

Add. Iuly. de S Rum.

Cap. 3.

Miræus in Chron Bel. ad an 870 Cod. Donat lib. 1. fol. 90

Tom. 1. prol. legom.

etiam iucundum: ita tamen vt anile nihil, nihil rursum puerile & hodie natum tibi obtrusum queraris. Fixit in Bratuspantij medio diploma Pipini Maslinas veteres, nec mouemus: Imò & recentem hanc recentiorés sic statuunt. Molanus: *Est Mechlinia vnica Ciuitas in ditione Mechlinienſi, æqualiter diſtans à tribus primarijs Brabantiæ vrbibus Louanio, Bruxellâ, & Antwerpiâ.* Haræus, *Mechlinia quæ in meditullio Brabantiæ eſt.* Et ad rem propiùs Gramaius. *Vt nunc ſunt res, in meditullio Brabantiæ quodammodò ſita, æquali quatuor milliarium ab Antwerpia, Bruxellis, Louanio diſtans ſpatio, & veteris iure beneficij & genio loci debetur Brabantiæ, à Philippi Boni æuo ſeparata titulum faciens Prouinciæ, & ſeptimumdecimum in ordine numerum abſoluens.* Ac ne tibi aqua fortè hæreat, num Bratuſpantium Veterum, noſtratis Brabantiæ ſynonimum fuerit? Ne ſis neſcius, illud à Iul. Cæſ. lib. 2. de Bello. Gall. laudatum Bratuſpantium, quod erat ciuitas magna, & inter Belgas auctoritate ac hominum multitudine præſtabat: quamvis, vt legis, inter Belgas, tamen Bellouacorum fuiſſe, vicinum Sueſſionibus populis, Rhemiſque & Nouioduno opidis hodieque notiſſimis. At Heuterus Delfius de Brabantiæ etymo diſputans: *Nominis* inquit, *Brabantiæ etymologia eſt incerta, quod quæ de Anchiſe ac Brabone ſcribuntur, meræ ſint fabulæ.* Pergit: *Ego mihi perſuaſi à Bratuſpantijs regioni nomen manſiſſe, de quibus Cæſar Comm. lib. 2. loquitur. Exciſâ enim eorum vrbe huc ſuperſtites migraſſe credo, nomenq; ſeruaſſe, ac ſenſim ex Bratuſpant factum Brabant, vnicâ è vocis medio detractâ ſyllabâ.* Suſpicionem auget, quòd Belgij nomen (quod Marlianus in notis ad Iul. Cæſarem, Bellouacorum quoque opidum facit) vni præcipuè adhæſerit Brabantiæ; ſed ille cum Bratuſpantio malè, & immeritò confundit. Verùm hîc audiendus litteratorum Phœnix, qui Bratuſpantes eoſdem cum Brabantis faciens pronuntiat: *Ne ambigas, ecce clarè in actis annis* 1012. *Godefridus Dux in fines Bratuſpantium venit, & Louanium obſedit. Cedo, an non Louanium in noſtra Brabantia eſt?* Et verò licet ſe angat vir maximus propter Sigefridi (puto Sigeberti, nã ſunt eius) verba: *Anſfridus cùm Comes fuiſſet Bratuſpantium, depoſito militiæ cingulo, factus eſt Epiſcopus Vltraiectenſis*: quem in Comitum Louanienſium numero contra Anſelmum rerum Leodienſium Scriptorem minimè cenſendũ contendit, qua tamen in re à Miræo corrigitur; ſuam

In nat. SS. Belg. 1 Iulij T. 1. f. 308.

l. 1. Mech. ſect. 1.

Cæſ. Com. de bel. Gall lib. 2.

Lib. 6. in Genealog Brabã. fol. 94.

Lipſ lib. 1. Lou. cap 12

Sigebert in Chrõ. Mir. ad an. 1012

Adan. 997 Cap. 53. In Chron. in ſtemmat

Digitized by Google

suam de Bratuspantibus opinionem fortiter tuetur. Ne nimius sim, hoc postremũ ex annalibus Hollandiæ apud Delfium, decerpo; eundem Ansfridũ Antistitẽ in epist. quâdam his vti verbis: *In Comitatu nostro Rhiensi ac Bratuspantia, cuius sunt ditionis Pagi, Vesterlo, Osterlo, Mirbeka, Hombeka, Burenta &c.* Quos hodieque pagos Brabantia suos nouit; vt & Comitatum Rhiensem, cuius caput Antwerpia. Sequitur in Pipini diplomate: *In Bratuspantij medio, Vbi Scalda Tylam excipit.* Imò Amandus de Ziriczea Mechliniam olim mari contiguam fuisse astruit, secutus annales Traiectensium, qui interuentu Beati Seruatij ferunt mare à Tungris receſſisse. A quo vix dissentiens Gramaius mantissam adijcit: *Et ego à fide dignis accepi, in diuersis Campinia locis hodieque effodi malos, asseres piceatos & alia, qua naues aliquando ibi demersas probare possint.* Sed quàm de Tungris certũ, tam verum de Mechlinia. Proferam igitur aduersus popularem hanc de vtrisque mari conterminis sententiam, quod in Disp. sua Historica de primis Tungrorum Episc. Ægid. Bucherius S. I. non populariter sentit. Ait verò: *Quod addunt plerique, mare quondam Tungris affusum; nescio, an satis congruenter asseratur. Ego quidem eius rei memoriam apud antiquorum neminem inspicio. Imò Menapios amplam gentem, Oceanum inter ac Tungros incoluisse volunt. Certè repugnare loci genium, nemo non videt. Quis credat mare in eos sese tractus infudisse, ex quibus iam tot fontes oriri videmus ac flumina, sese paulo post partim Schaldi, partim Mosæ confundentia? Neque multum roboris habent, quæ proferuntur, ex abditis terræ ingentes malorum instar arbores, conchylia item aceruata, sparsaue; deniique in speciem littoris tumuli, etiamnum ab incolis maris aggeres appellati: Nam vt hæc omnia non à fabulis, sed à traditione ducantur; facilius tamen crediderim hinc eyinci, Naumachias apud Tungros olim à Romanis institutas, exercendo ad naualem pugnam milites; quàm mare ciuitatem adeò editam alluisse. Nisi quis eam argutissimi Goropij malit inire sententiam, quadam maris æstuaria per lacus ac paludes, Tungros vsque fluitasse, arte postmodum & industria hominum coercita.* Hactenus Bucherius. Proinde meritò Gramaius: Diploma, in fit, Pipini certiùs circa confluentiã Tylæ & Scaldis Masslinas collocat; & licet nunc aliquanto remotior hæc, tamen olim alium fortè propinquiorem Schaldis alueum opinor, ductus argumento pagorum aliquot manifestè

lib. 6. f. 94

l. 1. Mechl sect. 4.

Disp. hist. cap. 2.

nomen Scaldis referentium, vt Schelda circa Wiltbroekam &c. Sed frustrà se torquet, & nouos alueos labore inutili fodit: neque enim tam de Vrbis, quàm regionis situ loquitur Diploma, quò exertè Adoni tribuitur terra, *vbi Scalda Tylam excipit, dicta Francis Malinus, quod maris sonat lineam.* Hinc enim certum efficitur, vocem *Maslinas* latiùs olim patuisse, neque vici tantùm vel opidi, sed totius Prouinciæ, isti vt Dominæ subiectæ, quæque vsque ad Scaldis & Diliæ confluentes protensa fuerit, vsurpatum Veteribus pro vi sua nomen extitisse. Quippe parem ob causam altera Othonis 2. concessio sub. an. 980. inter capitales Ecclesiæ Leodinæ ditiones, Maslines statuit, ad quam cetera loca villasq; cum rebus & hominibus illi attributis refert. Horum aliqua, sed suburbana, & vrbis iure gaudentia, tabulæ pactorum inter Theobaldum Leodic. Episc. & Ægid. Bertholdum expressérunt; Heuere, Musines, Hombeke, Leest, Hessene, Noulant, Neckerspoele, quibus toparchiæ De Heyst & Ghestel, Mechliniæ proximè parentes accensendæ. Adhæc est territorium, quod Mechlinienſe vocant, & latissimè patet, at cui hodie cum Mechlinia præter id nominis nihil commune est; quis tamen non videt, huius quandoque legibus subiectum fuisse? Vt de prioribus Dynastis non loquar, quorum fines pro Principum arbitrio restricti, ampliati: postremi, quia exteri pleraque venditionibus abstraxerunt; & quod antiquitus latè se extendit, posteà coercitum & obscuratum ditionis Mechlinianæ imperium, vt solent hæc talia, angustis hæsit in finibus: vti contrà, Brabantiæ, quæ quondam perexigua, in veteres Comitatus diffusum nomen adeò quidem inualuit, vt in obliteratum Lotharingiæ aliaque, planè successerit. Terra igitur, quæ Adoni in pretium fidæ operæ atque opis contra Barbaros accessit, vt multa taceam, Walhemum, municipium olim florens ad Netham, & quod plerique antiquissimum, atque à Wallis, id est, aduenis Francis fundatum dicunt; Rumstam quoque ad confluentes Nethæ & Diliæ, Wiltbroekam, aliaque porrò vsque ad Tylæ & Scaldis confusa flumina, longè complexa est. Ceterùm quia Scaldis orbi notissimus, Tylam, vel molliori literâ Diliam explico. Hic rapidissimus Brabantiæ fluminum Diuæo dictus, in extremis Romanduis (Gallo-Brabantos vocant) prope Villarium ortum habet, & hausti, riuulis citò turgidus, Louaniũ illapsus, perq; vrbem pluribus alueis deductus

Chapeauil Mira. not. Eccl. c. 69.

An 1808.

Vide Lipſ. l. 1. Lou. c. vl.

De Wallis vide Polyd. in hiſt. Scot

lib. 1. f. 16.

Digitized by Google

deductus, vnico demum vehendis apto nauigijs egreditur: Mox Demerâ amne etiam nauigero auctior, æstuantis maris imperium supra Mechliniam subit; quam vbi nomine hactenus seruato per mediam secuit, iterum in fluxu ad primum ferè lapidem, Sennâ, mox Nethâ fluuijs satis amplis & nauigabilibus inflatus nomen, vt plerisque placet, deponit. Rupelam enim, qui ad Scaldim pertingit, docti vocant; & Ruplæmunda, municipium Flandriæ ad hos confluentes, quasi os siue ostium Rupelæ dicta, cuius similia sunt Ruræmunda, Teneræmunda, aliaque hoc sine abeuntia. Vulgus tamen nautarum, qui quotidie præteruehuntur, id nominis prorsus ignorat; & quamuis non Diliam, certè communi Mechliniani fluminis, imò infra Wiltbroeckam, Scaldis etiam voce, sed abusi appellitant. Est enim manifestè indicio diploma, Diliam vsque ad Scaldis alueum seu Ruplæmundam, vti & Maslinas Prouinciam, nomen olim continuè propagâsse. Adhæc certum perinde est, in dicto tractu Malinas iam ante Adonis tempora opidum, vt Chronicon Trudon. m s. vel vt Gramaius, vicum peculiarem fuisse; nam ait: *Quamuis autem in Bratuspantij medio fuerint Maslina veteres, tamen ex vita Antistitis Rumoldi liquet, pagum separatum constituisse, nec infrequenter habitatum; ex hymno veteri ante annos 300. composito colligis, eundem vt hinc aquis, ita inde vastâ fuisse munitum solitudine.* Ita prorsus res habet, idque validis testimonijs firmant memoriæ veteres, & perseuerans in posteris traditio; Adonis æuo quidquid fuit, siue vrbis siue pagi, in læua fluminis ripa constitisse, illud vnum Diliæ latus occupasse; Cis-Diliauâ, præcipuâque Mechliniæ parte, in qua Metropolitana sedes, tunc vlmorum silua dumisque & paludibus vtcumque horridâ. Dictis addo, quod momentum non parum inclinet; mihi enim semper magni ponderis argumentum visum, quod ex fide certâ Baldericus ante annos 600. in hæc verba prompsit: *Apud Maslinas quoque Monasterium est Canonicorum, vbi quieuit pretiosus Dei Martyr Rumoldus, genere Scotus, qui vitam Eremiticam ducens, inibi martyrizatus est.* Vnde dilemmate stricto vrget nonnemo: *Si Eremiticam, ergò etiam Adonis æuo vltra flumen vrbs erat; si apud Maslinas, ergò non in vrbe.* Fuit itaque cis Diliam imago solitudinis nemorosa, vitæ à seculi strepitu remotæ inter frequentes vlmos idonea. Ita enim Molanus: *Monasterium illud Canonicorum, B. Rumoldi*

Adan. 883

l. 1. Mech. sect. 4.

Chron Camerac. l. 2. Miræus, in Fast. SS. Iulij Gram l. 1. sect. 6.

In nat. 1. Iulij.

Digitized by Google

Rumoldi opus, situm erat in pratis intra vlmos, sed paulatim Mechliniæ ex parua vrbe Transdiliana adeò excreuit, vt nunc collegium S. Rumoldi in meditullo vrbis situm sit. Adeò verum illud Liuij; Vrbes quoque, vt cetera, ex infimo nasci: Et quod alibi; Vbi nunc ficus Ruminalis est, Romularem vocatam ferunt, imò vbi nunc altitudinis immensæ turris Rumoldi, tum in ijslocis solitudines erant.

lib 1. cap. Cap. 4.

Prop lib. 4. Eleg. 4.

Lucus erat felix, hederoso conditus antro,
Multaq; natiuis obstrepit arbor aquis.
Syluani ramosa domus, quo dulcis ab æstu
Fistula poturas ire iubebat oues.

Non tamen illud,

Idem eleg. 1

Hoc quodcumq; vides, hospes, quam maxima Mechla est:
Ante Ducem Adonem collis & herba fuit.

Erat enim, vt diximus, in altera ripa fluminis, regia Adonis & vrbis forma, in qua hodieque Comitis memoriam conseruant vicus, forum seu area, & vrbis porta; quæ ab Adonis domo ac habitatione nomen retinent, inquit Molanus. Sed angusta hæc: muris egredimur, & per suburbana, vicos agrosque spatiamur. Primus fodalis & congerro Gramaius. Manifestè, inquit, vides in Adegemio, quod Adonis domum sonat, antiquitatis memoriam; & nomen est vici suburbani, cognomen portæ vrbanæ. Fuit, inquam, Gramaie; Stetit nuperque Suburbanum illud regioni ciuicæ domorum frequentiâ comparandum; sed ab hoste

In natal ad 25. Iulij

l. 1. sect 5.

2. Æneid.

Proximus ardet
Vcalegon,

Virg Eclog. 1.

Solaque modò de tot, superstes lateritia domus,
Pauperis & tugurî congestum cespite culmen.

Pergimus: & rus suburbio sed quondam! adiacens, oculis, non etiam pedibus metimur. Huic Adonis campus, vernaculè Adegemvelt cognomen hæret; prædium prorsus amplissimum, & vrbi condendæ par, iugerumque, vt accolæ docent, penè centum: minquam interiturum Adonis nominis monumentum, vt quamvis alia desint, tutus facerque sit à Boetij minis:

l. 2. de Consol. metro. 7

Quod si putatis longius vitam trahi
Mortalis aurâ nominis;
Cum sera vobis rapiet hoc etiam dies,
Iam vos secunda mors manet.

Et qui-

Digitized by Google

Et quidem dum tot ego nuper, sedulò & curiosè antiquitatis vestigia relegi, non temerè in eam sententiam pedibus iui, vt crederem Machliniam veterem longè lateque ad læuam fluminis productam, ea omnia loca situ occupasse, quæ Adonis nomen hodieque seruant. Consentit & Gramaius, dum ait, *populum latè ripas Tylia insulatim coluisse*; nisi quod sui immemor, cùm antè vrbem hinc aquis, inde solitudine munitam dixisset; hîc ripas numero vtroque habitatas edisserat. Fuerunt igitur hisce in feraciſſimis prædijs insulæ, hoc est, vt explicat Budæus, domus nullis connexæ ædificijs cohærentibus, vt insulæ in mari vndis ambitæ vndique, discretæque à continenti: quales Spartianus scribit 335. insulas olim Romæ incendio absumptas fuisse. Ita enim & priscorum hominum moribus & pacatissimis temporibus congruisse videri possit. Denique belle in aduersa ripa, & examussim, his agris respondet locus, etiamnum indigenis Vlmetũ paludosum Tholmen-Broeck dictus, sedi & Eremo S. Rumoldi cognominis, de quo differt. 5. Ceterum, ne superstitio Religioue, quæ in omni Repub. primas semper tenuit, nobis indicta prætereat; putat Gramaius, atheismo veteri in Barbariam relegato, fidei nostræ fundamenta hîc probabiliter iacta per S. Willebrordum, confirmata certò per Lambertum, Hubertumque Antistites Leodiorum: *Quorum*, inſit, *ille (tametsi vulgò B. Rumoldi nomen magis innotuit) ab antiquo opidi tutelaris haberi, & in iuramentis solennibus compellari solet; vt ex sacramenti Scabinalis formula an. 1304. venouata patet.* Addo sacris cultibus huic celebriùs, & ritu, vt vocant, duplici in Ecclesia Metrop. quotannis mense Septembri festum instaurari, Hubertique aliquam memoriam diuinis in precibus conseruari, sed nullam prorsus Willebrordi. Quamvis enim hunc Lamberto, in Brabantiæ Taxandriæque cultura auxiliares manus præbuisse certum; (æquales enim fuerunt, & Lambertus è Taxandria, nunc Campinia, quam fide imbuebat, sæpius Willebrordum visisse, & cum eo coràm de propaganda Religione sermonem contulisse à plerisque refertur) Brabanti tamen soli, in quo fuit Mechlinia, Taxandriq; Apostolum omnes Lambertũ faciunt, incolæ venerantur; Willebrordo Frisiæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Geldriæque Apostolatu nobilitato. Et Diuæus quidem sentit, Brabantos diu ante Barbaram illam, vt Molanus vocat, Campinienſium gentem, quæ nullis ciuitatibus, sed

l. 2. Mechl. sect. 2.

Viuebat an 690.

Miraus in fast. SS. ad 7. Nouemb

l. 1. p. 27. In nat. ad 7. Maij & Septembr.

Digitized by Google

pluribus & ſparſis vicis continebatur vſque ad Tungros, clariorem Chriſti notitiam accepiſſe. Imò ſub an. Domini 390. fidem Chriſtianam in Belgica paſſim noſtra floruiſſe putat, & probat Bucherius diſp. ſuæ Tungrenſis c. 5. ſed eandem profanis Barbarorum ſæpe irruentiũ ritibus conuulſam & penè exactam fuiſſe, quod Baronius
Ad an 690 ait, valde conſentaneum eſt credere. Porrò fertur Deiparæ ædes, nunc Parochia dignitate & ciuium numero ſecunda, à S. Lamberto in Mechlinia veteri conſecrata. Alterum quoque in ea ponit Gramaius D. Lamberti ſacellum: de quo nos plura diſſertat 5. Iactant denique Muſena, & Battela ſuas quoque à
lib. 1. fol. 5 Lamberto dicatas Eccleſias. Quæ vt vera ſint: reliquias tamen ſuperſtitionis Gentilitiæ ex cauſis dictis non paucas, Mechliniæ vſque ad S. Rumoldi tempora perdurâſſe, in eius vita proditur; Veiouemque ſub nomine Nachkeri, id eſt, noctis domini cultum circa Mechliniam, vt ferè in lucis iſti litatum, ex nomine Neckerſpolij non malè aliqui collegêre. Verùm de his iterùm poſtea. Idioma vt addam, Maſſinis illis idem, atque nunc, in vſu fuiſſe ſentio. Ita enim Taxandris proximis, S. Lambertum *lingua Teutonica peritum, ſine interprete ſuæi myſteria reſeraſſe*, in eius actis tradidit Nicolaus.
Cap. 10. Et talis quidem Mechliniæ veteris facies, ſitus, incolæ, religio, ſermo; donec per Nortmannos omnia vaſtantes cæſi aut fugati ciues, & pleraque illius decora incendio fœdata in cineres ac rudera abiere: Verùm ſub an. 896. ſeró & ſeriò reſtitui, & nouam induere ſpeciem etiã trans fluuiũ propagata cœpit: de quâ diſſert. 6. Leui, vt hoc addam, argumento probant pagum ſeu vicũ primitus fuiſſe, qui Maſſinas villam antiquis ſæpe dictam, medij æui ſcriptoribus id notaſſe volunt, quod Gallis hodie Village: conſtat enim eodem nomine appellatam in conventionum tabulis an. 1308. de quibus ſuperiùs, quando non tantùm eius pomœria vltra Diliam producta, & muro, portis, foſsâque munita; ſed etiam aucto mirum in modum incolarum numero, Sacella priùs DD. Ioannis & Petri in Parochias frequentes erant inſtituta. Sed hactenus iſta: ad ortum enim & natiuitatem Liberti decurrit narratio.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO IV.

Patria S. Rumoldi & aduentus in Belgicam; tum Miraculosæ Liberti Natiuitatis adiuncta.

MAslinarum indigenas à B. Lamberto fidei rebus certò initiatos diximus. Tempus etiam digito, quod aiunt, indicare licet. Sanctissimus enim Præsul post exilium septennio in Monasterio Stabulaus, quò ab Ebroino Episcopatu detrusus abierat, Pipini operâ Cathedræ suæ redditus, viginti annos, quibus vsque ad Martyrium superstes extitit, vitæ numeris omnibus perficiendæ exercitationibus, vltimum etiam septennium non suæ modò Diœcesis Spartæ ornandæ, sed supernumerario quoque infidelium nationum lucro erogauit. Chronologiam tam exactam Bucherio debes. Breuis itaque sementis in laboribus plurimis iactæ, mirum, quàm læta & copiosa messis exiterit; nam audi Nicolaum in Lamberti vita: *Tota regio illa, quæ diuersa ab incolis suis sortitur vocabula, & cursu Mosæ dextro latere clausa vsq; in septentrionalem Oceanum porrigitur, Apostolatui Martyris Christi Lamberti debet, quòd errorem suum cognoscere, & quòd Christiana fidei gratiam obtinere promeruerit, ideoq; Leodiensi Parochiæ, sicut hodie cernitur, subdita est.* Sic ille. Quod quidem ad patrum vsque memoriam, & nuperam illam sub Paulo IV. an. 1559. nouorum Episcopatuum constitutionem perstitit; quando ex vna Leodiensi integræ aliæ, vt Namurcensem præteream, Ruræmundana & Buscoducensis; Antuerpiensis quoque pars potior; & Mechliniensis, aliqua; felici sobole processerunt. Tam præproperè igitur nouæ *huius Christianitatis* (vt Nicolaus loquitur) *teneram, & quasi adhuc palpitantem, rudemq; infantiam cede destituens* Lambertus, in caliginem densam coniecit, facilèque ad gentilitios ritus, quos vix penitus dimiserant, redière multi; vt sterili siluaticæque vineæ, quæ exspectata vt vuas faceret, edebat spinas; alter industrius & indefessus cultor opus omnino fuerit. Is diuino nutu, qui in Lamberti labores succederet, surrogatus Rumoldus, in ea Scotiæ parte, quæ Cap. II.

Digitized by Google

hodie Hibernia, Stephano Iuernia, Melæ & Iuuenali Iuerna, Aristoteli & Claudiano etiam Ierna dicta, regiâ prosapiâ editus, dignitate Dublinienſis Archi-præſul. Et hæc quidem inſula, vt eius encomium paucis pro merito perſtringam, fidei auitæ tenax admodum, & virorum inſigniũ omni æuo ferax, cùm Cæleſtini Papæ temporibus, Palladij primùm, deinde Patritij Epiſcoporum operâ ſuum Chriſto nomen dediſſet, tantos breui in re Chriſtiana progreſſus fecit, vt ſequenti ætate Hibernicis Clericis Monachiſque nihil ſanctius aut eruditius fuerit: vnde in omnem propè Europam ſanctiſſimorum virorum examina ſæpe prodierunt. Huic enim Hiberniæ vti ſuum Columbanum debent Burgundia & Italia, Gallum Heluetia, Franconia Kilianum, Manſuetum Lotharingia, ita penè innumerabiles Gallia Belgica noſtra ſiue ſecunda: Ganda & Occidentalis Flandria Liuinum, Hannonia cum oris adiacentibus, Vltanum, Furſeum, Foillanum, Ettonem, Eloquium, Waſnulphum permultoſque alios: Geldria Wironem Plechelmum & Otgerum Leuitam; Taxandria Dympnam & Gerebernum; Deniq́ue præter Mechliniam & Antwerpiam, Weſtphalia, Friſia, Hollandia, Zelandia, Teiſterbandia, Boructuarij, Haſſi, Saxones, alijq́ue Germaniæ populi, quos Marcellinus enumerat, non primitias quidem fidei, ſed hanc reſtitutam, fertilemq́ue illius & perpetuum prouentum, niſi ingrati ſint, ſe debere fateantur, neceſſe eſt. Harum quippe gentium Apoſtolos Willebrordum ſocioſque, quamvis naturâ Angloſaxones, S. Ecgbertum Monaſticæ in Hibernia diſciplinæ propagatorem egregium, ex pluribus Monaſterijs ad colligendã in Gentibus meſſem deſtinaſſe, ex Beda rerum ab ipſis geſtarum præcone Baronius, Molan. Mir. tradidêre. Et quidem Miræus: *Litterarum* inquit, *ſtudijs cum pietate apud Hibernos maximè florentibus, Anglo-Saxones in Hiberniam tanquam ad mercatum bonarum artium olim vndiq́ue confluxêre: vnde de viris ſanctis ſapiſſimè legitur in vetuſtis Angliæ Scriptoribus, Amandatus eſt ad diſciplinam in Hiberniam: & in Sulgeni vita, qui ante an. 600. claruit.*

Exemplo patrum commotus amore legendi,
Iuit ad Hibernos ſophiâ mirabilè claros.

Bed hiſt. Ang. lib. 5 capp 19. 20 & 23 & Bar ad an. 690. Mol. ad 25. April. & 7. Nou. Mir. in faſt ibid. & 3. Dec.

Ibi autem guſtatâ velut loto Homericâ patriæ obliti, perſæpe ad exteros cum Hibernis fidei propagandæ ſtudio profecti fuêre. Ita diſertè Henricus Antiſiodorenſis ad Car. Caluum: *Quid Hiberniam memorem, contempto pelagi diſcrimine penè totam cum grege Philoſopho*

Digitized by Google

rum nauigantem? quorum quisquis peritior est, vltrò sibi indicit exilium, vt Salomoni sapientissimo (Christo) *famuletur ad votum?* Quæ quidem eò faciunt, vt non sine causſa à multis de Rumoldi patria dubitatum intelligas. Verùm Metropolitanæ Ecclesiæ iudicio, postque Baronij, Molani, aliorumq; paris auctoritatis Scriptorũm testimonia & interpositam fidem, lis pro Hibernia decisa, vixq; aliquid certamini relictum videri possit. Et ego, *cui Iustitiæ soror Incorrupta fides nudaq; veritas* præcipuè curæ: causſam argumentis probationibusq; adductis meliorem facio. Certè Theodoricus Abbas, qui Rumoldi acta ex m s. codicibus studioſè excussit & concinnauit; ex ea Scotia, quâ Kilianum, Columbanum & Bertuinum, (ita enim lege, non vt in quibusdã editionibus Bertinum, quem Constantiensem Germanumque fuisse constat; vnde malè aliquis & immeritò Scriptorem vel maximè circumspectũ imperitiæ arguit, vt notasse memini) processisse docet: at Kilianus, siue Herbipolensis ille, siue qui Albiniaci prope Atrebates quieuit, Hibernus fuit. De priori passim eius vita apud Sur. & Canis. firmat, posterior in rebus gestis diserte laudatur: *Killianus Episcopus Hibernensis.* De Columbano nullus ambigendi locus: quòd se ipse in carmine ad Hunaldũ, quod apud Canis. tom. 1. supereſt, natione Hibernum asserat. De Bertuino tandem acta eius & Miræus in fastis: *Ex Hibernia veniens Bertuinus Episcopus.* Adhæc idem Theodoricus natale Rumoldi solum describens, ea ex Solino profert, quæ de Hibernia iam ab annis 1000 Isidorus explicuit, res manifestè probat: *Hæc est,* ait, *illa Scotia, teste Solino, olim inhumana incolarum ritu aspero, alias ita pabulosa, vt pecua interdum, nisi à pascuis arceantur, in periculum agat saties. Illic nullus anguis, auis rara, apis nulla &c.* At Scotus aliquis præiudicatam tot arbitris causſam, frustra vel ad venalis sententiæ tirbunal obtorto, quod aiunt, collo retrahens, argumenta iactet opponatque, Rumoldum à veteribus passim, genere Scotum appellari; Tum Archi-Præsules Mechliniæ gentilitia sua cum regin Scotici insignibus mixta ad memoriam patroni sui Scoti, vno in scuto præferre: Addat sine auctore, sine teste, imò contra Romani Martyrologij tabulas omniumque sententiam, non Dublinienſem in Hibernia, sed Dumblanenſem in Scotia Episcopum fuisse Rumoldum. His quippe, alijsque ratiunculis & verè tenuibus somnijs, quæ recitat Molanus, vetera certaque Mechlinienſis

Hor lib. 1. Od. 24.

Fasti Mir. ad 12. & 11 Nouemb.

Orig. l. 14.

Eccle-

Digitized by Google

Ecclesiæ monumenta præfert ipse Hibernorum causſæ patronus; quibus quidem asſeritur Rumoldus, Guallaseri Dublinienſis Præſulis precibus medijs, Dauide Rege & matre diu ſterili, regali certè Scotorum prosapiâ editus, ſed (inquit clauam hanc minimè Herculeam Scoto excutiens) *Antiquitus Hibernos Scotorum nomine comprehenſos fuiſſe, ex vita Beati Patricij, & aliunde eſt manifeſtum.* Huius Bedam & Ionam in Columbani vita locupletiſſimos & certiſſimos teſtes accerſit. Verùm in Bedę verbis aliquid ampliùs noto, ex quo non tã huius temporis Scotos, quàm Hibernos, Scotos censendos eſſe aſſeuerem. Ait ille: *Hibernia eſt inſula omnium poſt Britanniam maxima, ad Occidentem Britanniæ ſita: hac propriè Scotorum patria eſt.* Idcirco ſi Rumoldus proprié Scotus, proprié Hibernus neceſſariò cuiuis iudicandus videtur. Prætereo, quòd Oroſius ſub Arcadio & Honorio Impp. ſcribens, Hiberniam à gente Scotorum habitatam prodat, aut quòd Claudianus hiſtoricè pangat:

Scotorum cumulos fleuit glacialis Ierne.

Et alibi: *Totam cum Scotus Iernam Mouit.*

At Iſidorum Hiſpalenſem, qui ante annos mille originationes ſuas contexuit, vberiùs probantem cito. Sic enim illarum lib. 14. cap. 6. ait: *Scotia eadem & Ibernia, proxima Britanniæ inſula: ſpatio terrarum anguſtior, ſed ſitu fœcundior. Hac ab Africo in Boream porrigitur, cuius partes priores Iberiam & Cantabricum Oceanum intendunt. Vnde & Ibernia dicta. Scotia autem, quod ab Scotorum gentibus colitur, appellata. Illic nullus anguis, auis rara, apis nulla &c.* Vnde Senatores hos nequaquam pedarios, ſed Conſulares omnes ſecutus Ampliſſimus & ipſe Senator, Reuerend. admodum. D. Ioannes à Wachtendonck, poſtque *recitatos* tot *codicis loco teſtis*, Tullij phraſis eſt, Rumoldum regis Hibernici Dauidis filium, patriâque & gente Hibernum, non vt Adſeſſor modò, ſed Præſes; & quia religionis eſt negotium, vti Augurum princeps Pontifexue pronuntiat. Quod certè iudicium vel tum probabis maximè, cùm non regnũ vnum Hiberniam, ſed in plura etiam poſt annum 1000 diuiſam fuiſſe, ex Bernardo, Molano, Mercatore, primâ hiſtoriæ ſuæ facie rectè librantem perpenderis. Hanc verò regulorum turbam cùm ab eadem propagine ortum habuiſſe vero ſit ſimile; æquum fuit titulis ijſdem & ſtemmatis inſignibus vti Imò veniam dabis, ſi Scotos, qui nunc dicuntur, ab Hibernis fluxiſſe exiſtimem, quod

1ro Roſc. Cæc.

In vita Malach.

Digitized by Google

quòd Beda locorum ac rerum eiusmodi scientissimus, Hiberniam propriè Scotorum patriam appellarit. Quòd autem scutum mutârit Hibernia Citharam præferens: factũ, si mihi dexter Apollo, quando Rex aliquis plerisque Prouincijs imperare cœpit: hocque vel ab adagio ductum, *Citharæ fides vna non sufficit*: vel à concordia populorum, cuius symbolum citharam fecit Alciatus, emblem. 10. Itaque Rumoldus (vix enim ad alios iudices appellari potest) in gente sua non natalium splendore tantùm, sed etiam dignitate primaria Dublinensi clarus, spretis hereditarijs sceptris, pari perfectionis Apostolicæ studio Cathedræ patriæque fugam adiecit: & Romam quidem profectus Cœlitus citò instruitur, vt in oras Galliæ maris æstuarijs redundantes Euangelij præco & Martyr futurus festinet contendere. Paret Cœlestibus monitis Vir Dei, & à summo Pastore Stephano III. qui an. 752. Pontificatum adijt Ecclesiæ Dublinensis curâ solutus, tituloque Apostolatus & Legationis sacræ ad Gentium messem insignitus, breui Mechliniam pervenit: vbi tanto prouentu fidei rudimenta instaurauit plantauitque vt meritò post Lambertum, qui eum totis duodecim lustris in hoc Euangelij Malinatibus prædicandi munere prævertit Mechlinien-sium Apostolus habeatur. Adventus eius, studiumque fidem dilatandi, rursumque vitæ genus relictâ hominum frequentiâ in syluis non vulgare, celebri famâ & communi omnium ore ad Adonis aures defertur. Ille accersitum omni humanitatis officio suscipit, prosequiturque cum coniuge Elisa æquè clari generis femina, verùm quæ sterilis & grandæua spem suscipiendæ prolis abiecerat. Vbi tamen cœleste illud prorsus in Rumoldo vitæ institutum, labores indefessos, preces & lacrymas, quibus errores insanæ plebis expiaret, non auribus tantùm, sed oculis vsurpant; ausi sunt tanti viri meritis sperare, atque illi domûs miseriam, suaque de sobole & herede obtinendo desideria supplicum modo aperire. Sperandi etiam caussam non quæcumque accessio faciebat, quòd eum miraculo pari infœcundis parentibus natum acceperant, nihilque minùs de Rumoldi, quàm de Guallaferi aut alterius cuiusque sanctitate sentirent. Vota suorum hospitum non aspernatur vir sanctus, imò tantundem, beneficentiæ sibi impensæ si non rogatus, vel rogaturus, quid præmij ipsis optabile foret, vt ingrati notã effugeret, Elisæus nouus propheticoq; vir spiritu rependere niteretur; dicturus etiam affine illud è seculari literaturâ:

Digitized by Google

Plaut. trinum.

Si quid amicum erga benè feci, aut consului fideliter;
Non videor laudem meruisse, culpâ caruisse arbitror.

Et quod Æneas dissimili Elisæ:

1. Æneid.

Vrbe, domo socias, grates persoluere dignas
Non opis est nostræ.

Hortatur itaque, vt quâ in sè hactenus, in alios porrò cuiusque generis egenos, humanitate & benefaciendi studio vsi, diuinum sibi Numen concilient; breui fore, vti puerum corporis animique dotibus, & sanctitatis laude quandoque insignem, Libertumque appellandum, à Deo propitio impetrarent. Habita dictis fides; res fidem, verba promissorum euentus seriesque consecuta. Neque enim Elisa, quanquam Saræ cetera similis, rem quasi impossibilem, vt anus & sterilis pareret, arbitrata risit; quod Platoni confutationis quidem species appellatur: sed Deo nihil difficile gnara, naturæ leges rerumque ordinem priùs immutandum, quàm viri sancti verba irrita aut inania fore, sibi prorsus meritòque persuasit. Nascitur ergò præscripto à natura tempore, incredibili non parentum modò, sed populi vniuersi lætitiâ (*Habet quippe Sanctorum editio lætitiam plurimorum, quia commune est bonum. Iustitia enim communis est virtus*) mox aquis lustralibus admotus, ab ipso Rumoldo benè ominatum Liberti nomen obtinet, non eâ spe tantùm, vt quidam, quòd fidei libertatem restitutam suis seruaturus esset; sed potiùs tanquam iam liberatæ Pærsulis operâ & per Libertum pleniùs ab Impietate vindicandæ, Deoque asserendæ Mechliniæ perpetuum monimentum. At verò Liberti cunabula vt Genethliaco prosequar, hîc nobilis illa Poëtarũ Principis ecloga attexenda foret, quâ Salonini Consulis Pollionis filij natalem, aureumque sub Augusto partâ orbi pace velut instauratũ seculũ ex Sibyllinis versibus celebrauit: Qui certè CHRISTO primitus, Christiadûmque genti vaticinio dicti, nascentis pueri fideique in Belgica reparatæ temporibus iustè conueniunt, hi etiam aptissimè:

In Gorgia.

S. Ambr. l. 2. in Luc. cap. 1.

S. *Augustin. lib. 10. de Ciuit. c. 27*

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo:
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.
Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

In legat. Cai.

Ista enim de magnis & felicissimis rebus vsurpari prouerbio solent, vti Philo ait, per initia Principatûs Caij tantam fuisse vbique rerum vbertatem, felicitatem, hilaritatem, securitatem; vt iam fidem

Digitized by Google

fidem inueniret descriptum in Poëtarum fabulosis figmentis Saturnium seculum. At nulla major Belgicæ faustitas esse potuit, quàm CHRISTI fide regnum quoddam virtutum, & noui seculi fata, vt Symmachus loquitur, suscepisse, Liberto ad hoc opus diuinitus concesso, & veluti de cælo lapso. Et quoniam de Salonino sermo institutus, cuius natalitio carmine Liberti cunas celebrasse volui; addo vtrisque nomen simili caussâ inditum, quamuis dissimilis victoriæ trophæum quoddam, & monumentum ære perennius apud posteros perdurasse. Asinius enim Pollio ductor Germanici exercitus, cùm post captas Salonas Dalmatiæ vrbem, post triumphum ductum, mox etiam delatos Consulatus fasces eodem tempore filium suscepisset, ab insigni adoreâ primoque velut honorum gradu, Salonianum illum appellauit. At ne in humillimo, sed magnanimo Rumoldo, ambitionis exemplum crimineris; quod de impietate victa prostrataque, sibi in hoc Liberti nomine trophæum struxerit: proferam, quæ de magno Apostolo post Origenem D. Hieronymus, quem ex Paulo Proconsule Christianis addito, mutatione literulæ nomen sumpsisse sibi, & inauspicatum illud Sauli in glorioſius alterum commutasse existimant. Ita enim Hieronymus: *Vti Scipio subiectâ Africâ, Africani sibi nomen assumpsit, & Metellus Cretâ subingatâ Cretici cognomentum reportauit; & Imperatores nunc vsque Romani, ex subiectis gentibus Adiabenici, Parthici, Sarmatici nuncupantur: ita & Paulus ad prædicationem Gentium missus, primo Ecclesiæ spolio Proconsule Sergio Paulo, victoriæ suæ trophæa retulit, erexitque vexillum, vt Paulus diceretur è Saulo.* Et profectò cùm diuinam illam mentem (quo nomine Rumoldum potiùs, quàm Anaxagoram ob admirabilem scientiam Mentem dictum, compellâro) cùm, inquam, propheticum illum sanctissimi Præsulis Spiritū cogito, libet assurgere, & cum principe Poëtarum dicere;

Orig. præfa: in epist. ad Rom. S. Hieron. in epist. ad Philem.

Sicelides Musæ, paullo maiora canamus. *Eclog. 4.*

Neque enim mihi dubiū, ad eas Apostoli sententias, pueri nomen etymonque retulisse Rumoldum, quibus & peccati seruitutem in libertatem Iustitiæ fide assertam, & traductam à Christo generis humani vindice captiuitatem, pluribus locis suarum epistolarum edisserit. *Lex* (ait) *spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit* (Tertullianus, manu-misit) *me à lege peccati & mortis.* Tenebāt hîc miseram *Ad Rom. 8. l. de Resur. cap. 46.*

Digitized by Google

gentem peccatũ, Cacodæmon, Idola ſub impietatis iugo captiuam: hunc Chriſtus in Rumoldo triumphans ſpolijs opimis exuit; illam ſeruitio turpiſſimo manu-miſſam, libertatis veræ cœleſti munere impertiuit. Certè cùm has in oras primùm Rumoldus delatus eſt, referunt plerique, in ipſo aduentu offendiſſe homines, inter nemorum opaca inſanis ludis deditos, choreas exercere fœdaſque voluptates omni laſciuiæ genere capere: & erat hic ille dies, quò Chriſtus ingemiſcente naturâ, in ligno ſupplicia ſceleribus noſtris debita excepe rat. Quod ſpectaculum tanto ſanctiſſimi viri animum dolore perculit, vt eo cœleſtiigne, quo cor eius iugiter ardebat, vehementiùs incenſus, in mediumque proſiliens, ſalutis monita magno verborum pondere eorum auribus inferret, vrgeretque, vt relictâ inſaniâ, quâ ad æternam perniciem ruebant, Chriſti pro nobis in Crucem ſublati dolores mortemque perpenderent. Neque fruſtra ſanè Apoſtolicum munus hâc concione adorſus, quâ populum malè feriatum, ab illis quibus indulgebat vitijs, ad prioris vitæ errores deteſtandos compulit. Neque enim illos de Religionis ſacræ myſterijs aliquid tunc primùm inaudîſſe, verum ſed fidei propius, Chriſtianis Ethnicos fideique deſertores in vrbe mixtos, etiam in pietatis, quam noſtri ijs potiſsimùm diebus exercere ſolent maximam, contemptum, gentilitijs ſe ludis ſacriſque polluiſſe. Videor itaq; in his Rumoldi auſpicijs, quæ de difficillimo ceruarum partu ab Ariſtotele & Plinio tradita, ad Prædicatores transfert D. Gregorius, veluti ante oculos poſita contemplari. Ita enim magnus Doctor in illa Iobi, *Numquid parturientes ceruas conſideraſti? incuruantur ad fœtum, & pariunt, & rugitum emittunt*: Video, inquit, Paulum (video ego Paulini & Apoſtolici ſpiritûs heredem B. Rumoldum) quaſi ceruam quoſdam in partu ſuo, magni doloris rugitus emittentem: ait enim, *Filioli mei, quos iterum parturio.* Qualem rugitum hæc cerua pariens mittebat, quando eiſdem poſt ſe redeuntibus, & ad malitiæ vterum regreſsis exclamare cogebatur: *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit?* Et, *Sic ſtulti eſtis, vt cùm ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini?* Ita S. Doctor. Verùm cùm nouus hic *ſurrexit Elias quaſi ignis*, & cuius *verbum quaſi facula* in impiorum mentibus exarſit, euerſo etiam Diuini ſpiritûs idolo, cui ſacra fiebant: accidit, quod S. Leo diſertiſsimè *Commutante dexterâ Excelſi corda multorum, redijt in nouitatem veteſtas, & de iniquitatis famulis, miniſtri prodiêre iuſtitiæ. Subegit luxuriam.*

30. *Moral. cap. 21 in Iob cap. 39.*

Gal. 4.

Cap. 4.

Eccl. 48.

ſerm. 7. de Ieiunio 10. menſ.

tentinentia, humilitas arrogantiam propulsauit, & qui impudicitiâ sordauerant, castitate nituerunt. At enim ne extra metas ferar: Post quàm sic hactenus in arena Grammatica, non Priscianum illum priscum, non seruiliter Seruium in Libertatis etymo, sed sacri nominis interpretem, ac penè Theologum expressi, dum sacris tantùm suffragijs proferenda fuit de vocis originatione sententia; ab his liberioris stili ambagibus, ad historiæ semitã pedẽ refero, cuius pars magna Chronographia; ac annum quidem natalitium Liberti, in illa nocte temporũ presse & angustè sic disquiro. Ioan. Domyns, & qui compendio eum complexi, Lippeloo & Grasius; adhæc memoriæ veteres & notæ mihi visæ, profectionem D. Rumoldi Romam rectè admodum consignant an. 752. sequenti, eius has in oras aduentum: Martyrij verò lauream omnes an 775. consensu vnanimi adscripsêre, Sigebertus, Agiologus Rubeæ Vallis, Baronius, Molanus, Miræus, præter vnum Gramaium, qui nescio ex quibus historiarũ arcanis, imò portentis insolens illud prodidit, Rumoldum anno 775. relictâ Dublinienſi Cathedrâ Mechliniam peregrinandi & fidem propagandi studio declinasse, anno iterum 785. B. Stephano Ecclesiolam, quam struxerat, inscripsisse. Sed cùm ipse auctor, ipse testis, contra primæ classis & fidei certæ historicos; talia familiari eius ac propè supinæ incuriæ, aut vt mitiùs loquar, typographi Arithmeticæ indocti erroribus imputanda. Nemo enim non cõsentit, Rumoldũ pallio annuloq; traditis, Pontificiam, quam in Hibernia gesserat dignitatem, in manus Stephani II. siue III. exuisse (secundus enim an. 752. Zachariæ succedens, quia vix pauciſſimos dies sedit, neque ritu illo solemni, & triplici infulâ, quod aiunt, coronatus fuit; à plerisque, qui Rom. Pontificum seriem texuêre, prætermissus est: ijdemque Stephano III. qui mox & eodem anno surrogatus, secundi passim ordinem & numerum, à Baronio tamen iure reprehensi tribuêrunt) Hic verò per sex annos dum Ecclesiæ præest, perpetuisq; Longobardorum pulsatur iniurijs; an. 753. Româ in Franciam ad Pipinum diuersus, ibiq; & aduersâ valetudine, & spe pacis cũ hoste transigendæ, diu admodum & ferè biennium hæsit: ita vt opus sit asserere, quod diximus, sub Pontificatũ Stephani III. principium, Rumoldum ab eodem Apostolatus sui initiatum fuisse munere. Neque enim aut Romæ, aut in itinere suo Mechliniam multum temporis triuit

Sigeb. in Chro. Ipſ. Baron. ad an. 775. Mol. Chron. c. 21. Gram lib. 1. de Mechl. sect. 2. & 3.

Ad an. 753.

Digitized by Google

Rumoldus: nam Theodorico teste cap. 2. *Vrbem ingressus post aliquot dies* precibus datos, legationem sacram cœlitus suscipere iussus est, & c. 3. *Compendiosâ peregrinatione ex Italia in Gallias venisse* docet: ita vt tempus, quo Rumoldus Mechlinianam suam Spartam indefesso labore excoluit: calculo annorum benè posito, duorum & viginti spatio contineri euidenter cernas. Porrò cùm omnes perinde tradant, Libertum à Rumoldo adhuc in viuis agente, Clericis in Vlmeto degentibus Præpositum attributum; (quod certè dignitatis & regendi munus, in pueriles annos minimè conuenit) natalem Liberti ad Apostolatus initia, primumque ferè Rumoldi in Belgicam adventum referatur, necesse est: quod etiam res gestæ S. Rumoldi non obscurè innuunt. Ita vt Libertus an. 754. aut sequenti natus, tempore quo S. Præsul victima Deo cecidit, ætatis saltem vigesimum exegerit: Præfecturæ verò munus non diu ante Rumoldi obitum, sub ipsius auspicijs inchoarit. Iuuenes enim ijs quoque honorum titulis ornari, olim non infrequens posteà ostendemus, præsertim si insignis quædam vitæ sanctimonia, morumque grauitas in ijs adesset: maximè, si prodigia & quædam Diuinæ virtutis effecta, vt hîc plurima, præcessissent. Atque his iactis rerum dicendarum velut fundamentis, ad ea, quæ proximè consequuntur, progredior.

DISSERTATIO V.

Liberti Pueritia, Mors, Suscitatio.

Virgil. Ecl. 4.

AT tibi prima, puer, nullo munuscula cultu,
Errantes hederas passim cum baccare Tellus,
Mistaque ridenti colocasia fundet acantho.
Ac simul heroum laudes, & facta parentis
Iam legere, & quæ sit, poteris cognoscere, virtus.

Hæc enim munera cum rosis & lilijs, si ita fieri posset, in cunas Liberti congereremus, cuius talis extitit sub B. Rumoldi disciplinâ curâque institutio, vt statim illa studijs virtutis & litterarum, quas apud priscos hederis notari & ornari ex Virgilio alijsque obuiũ; dissimili nostrorum temporum exemplo insumpta fuerit. Meritò enim non in sui æui modò, sed & nostri fatuitatem exclamat Fabius: *Vtinam liberorum nostrorum mores non ipsi nos perderemus! Infantiam*

Quintil. Institut. Orator lib. 1. cap. 2.

Digitized by Google

statim delicijs soluimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, neruos omnes & mentis & corporis frangit. Idcircò rei omnium maximè necessariæ pondus librantes viri sapientissimi, de imbuendis virtute & litterarum studio etiam infantibus multi monita, nonnulli etiam præcepta dedêre. In his, Plutarchus aureo opere de instituendis liberis scriptò; Fabius lib. 1. institutionum, & ex nostris ad Lætam & Gaudentium S. Hieronymus. Et quidem omnes ab vtero penè matris fingendum suscipiunt, ille Politicum, hic Oratorem, Hieronymus etiam Sanctum futurum. Audi Fabium: *Quidam litteris instituendos, qui minores septem annis essent, non putauerunt: Melius autem qui nullum tempus curâ vacare volunt, vt Chrysippus. Nam is, quamvis nutricibus triennio dederit, tamen ab illis quoq; iam informandam quàm optimis institutis mentem infantum indicat. Cur autem non pertineat ad litteras ætas, quæ ad mores iam pertine.? Naturâ tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percepimus: vt sapor, quo noua imbuas, durat, nec lanarum colores, quibus ille simplex candor mutatus est, eluí possunt.* Inde igitur studium illud formandi pueritiam, veteribus tantum; nostris etiam permaximum fuit. Vt de exteris non loquar, ac præsertim de Cassinatibus S. Benedicti ascetis, à quibus id etiam Thomæ Aquinatis ævo, quibus ille quinquennis traditus est, egregiè gnauiterq; præstitum legitur: à nostra Belgica exempla peto. S. Lambertus puer Præceptore vsus est S. Landoaldo Romano Archi-Presbytero. Multorum B. Remaclus Tungrensium Præsul, pueritiæ moderator fuit, ipse à S. Sulpitio Episcopo institutus. De Notgero Leodiorum Antistite Anselmus in eius vita. cap. 55. & 56. tradit, tantam illi de educandis in claustro instruendisq; pueris fuisse curam, vt plurimi ex eius ludo ad Ecclesiarum gubernacula idonei, sanctique Rectores assumpti fuerint. Sexcentos præterea, vt numero adscisam SS. Godegrandum & Beregisum, qui à primis annis in S. Trudonis cœnobio pietate & litteris exculti, posteà ad sanctitatis maximæ fastigiũ conscendêre. Putant tamen, & ex historico Trudonensi probant Molanus & Miræus, non iam tum Benedicti familiam, sed Canonicorum cœtum illic fuisse. Hoc igitur præclaro & familiari illorum temporum exemplo, vbi vixdum gerulæ nutricumque crepundia deposuit illud parentum & suæ Mechliniæ delicium Libertus, B. Rumoldo, qui

lib. 2. epist. 15. & 16.

Natal. & fast. in S. Bereg. & in Orig. Bene

Digitized by Google

frequens à prædicationis munere hîc hospes erat, moribus & litteris bonis informandus traditur. Neque erubuit vir sanctus id facere in alumno *nobili, quod Aristoteles fecit in Philippi filio, vt ipse librariorum vilitate initia traderet litterarum.* Norât enim, quòd vt in semente posita spes messis; ita reliquæ vitæ exspectatio, ab educatione pueritiæ pendet. Iamq; inter hæc optima virtutum & litterarum studia adolescens Libertus, primam ineuntis ætatulæ teneritatem excesserat, cùm magnam illam parentum de filij non tantùm dotibus à natura insitis, sed spe etiam sanctitatis futuræ lætitiam, casus improuisus mœrorque omnium maximus obnubilat. Quàm enim rerum humanarum incerta sit fides, spes fluxæ, inania vota, id vel maximè in Liberto apparuit: vt aptissimè Martialis epitaph. in Glauciam libertum similiter puerum cecinerit:

Epist. ad Laram.

Immodicis breuis est ætas, & rara senectus:
Quidquid amas; cupias non placuisse nimis.

lib. 6 Epig. 29.

Cùm enim quodam ille tempore cum æqualibus pueris, per extremum continentis marginem lusitabundus discurrit, & parum cautè vestigia firmat, pede lubrico in flumen lapsus ac fluctibus haustus, ex omnium oculis euanuit. At enim quàm acerbo dolore, optimos hic rumor parentes perculerit; quis eorum luctus, quæve nenia fuerit: facilè quivis ex amore, quo senij sui solatium illi complectebantur, metiri poterit. Nempe hæc Catulliana miserabili planctu resonabant:

Cat. ad Manlium.

Tecum vnà tota est nostra sepulta domus:
Omnia tecum vnà perierunt gaudia nostra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.

Vbi tamen inter æstus suæ tristitiæ aliquantũ respirant, & mente recolunt, quàm singulari Dei beneficio donum illud, cuius iacturâ mœrebant, fuissent adepti, spẽ recuperandi minimè abijciunt; sed primùm cunctis opem certatim merso ferentibus, & in Diliæ gurgites sese altè demittentibus, cùm vrinatorum industria frustra laborasset, neque vllum humanum suppeteret subsidium: ad diuinum per Rumoldi merita precesque medias obtinendum confugiunt. Verùm, quæ ad infelicitatem accessio, is aberat, suæ Spartæ & finitimarum gentium culturæ incumbens; vel vt alij, ad S. Gummari Lirensis in vicino Dynastæ colloquium profectus, quorum vterque cælesti viuendi genere, & firmatâ, virtute non vulgari con-

Digitized by Google

consuetudine quòdvis à veteribus celebratũ amicorum par longè præcurrebat. Vbi vbi fuerit Rumoldus, Adonis iussu multùm quæsitus, tertio tantùm die ab interitu pueri, tristissimi nuntij certior efficitur. Non tenuit lachrymas S. Præsul vulnus animi testatus, spem tamen certam vultu præferens, eoque, quo Elizeus ad hospitis prolem suscitandam olim perrexit, diuino incitatus spiritu, ad littus funestum nullâ interpositâ morâ contendit. Huc vt pervenit, genibus flexus lacrymas iterum, quibus Deum moueret, & inexorabile imperium legesque mortis adamante scriptas pervinceret, oculis atque mente in cælum defixis, profundit; ac celebri prece iteratisq. vocibus IESVM inclamat: cùm ecce, ô insolens, nec auditum priùs prodigium! parentibus alijsque innumeris, qui huic spectaculo luctu lachrymisque deformati aderant, rei successum auidè exspectantibus; Libertus à morte reuocatus caput attollit aquis, & contrario flumine ad littus se promouens (Pictores, quibus omnia licent, hoc certè non iniuriâ, Angelorum ministerio per fluctus subuectum coloribus exprimunt) membris omnibus & vestibus ita siccis, quasi aquâ non obrutus, sed ne leuiter quidem tinctus aut adspersus fuisset, non dissimili à trium Babyloniorum Iuuenum miraculo, subitò in ripa conspicitur. Crederes si magna paruis, fabulosis vera componis; Persea Ceto occiso reducem, ab Andromedæ deuotæ amicis suscipi:

Littora cum plausu clamor, superaſque Deorum
Impleuere domos, gaudent, puerumque salutant. 4. Metam

Et locus quidem euentu, quem narramus, prodigioque non vno posteritati memorabilis, populari opinione magis, vt in illâ antiquitatum nocte & caligine temporum accidit, quàm reuerà notus; non longè ab vrbis extremæ muris, vbi olim in proximo Adonis regia, nunc etiam eiusdem nomine dictus vicus & vrbana porta; vtcumque ab incolis designari solet. Ego penè ibidem, non tamen in mœnium septis, sed propè propiùs, neque vllo interuallo. Huius mihi fidem facit templum, ad memoriam pueri mersi, in vitam restituti erectum, quod Gramaius ædium sacrarum Mechliniæ scribit antiquissimum, & Adonis temporibus structum: at quod paullo post, dum omnia Normanni vastant incendijs, cum Mechlinia in cineres abijt. Vbi verò post clades, iterum vrbs cœpit incoli, & rediuiuæ Mechliniæ fundamenta iacta; huius quoque lib. 1. sect. & 8.

Digitized by Google

que Ecclesiolæ species restituta fuit, stetitque sacelli forma vsque ad ciuilium bellorum initia, & nuperas Iconoclastarum faces, quæ latè impieque grassatæ eum totis penè suburbijs ædem absumpsere. At verò, quòd ille velit, sacellum ab origine D. Lamberto inscriptum, quòd ibi per eundem puer mersus in lucem reuocatus fuerit; quis dubitet scriptorem memoriâ, vt sæpe aliàs, lapsum; vel certè ex annalium, quos vulgus probat, imò iactat, veris tamen fabulas plerumque miscentium corruptis lacunis hausisse? Certè nullus ex tot rerum à Lamberto gestarũ scriptoribus, dicam præconibus & buccinatoribus, pueri alicuius suscitati, vel per vmbram somniumue meminit. Imò, ne aliquod quidem in eius ad Taxandros finitimosque populos, in quibus Malinates, prædicatione editum miraculum; tres qui scriptis vitam S Antistitis sunt complexi, retulêre: Tantùm Nicolaus res quoque Lamberti stilo prosecutus, barbarã illam Taxandriæ gentem Apostolo suo necem meditatam commemorat; *Cùmq;* (inquit) *illa furentis populi armata multitudo irrueret, tanta in vultu eius lux gratiæ cælestis refulsit, vt diuino nutu perterriti, depositis armis & animis, starent parati obedire, qui venerant occidere.* Ita ille. Certiùs itaque & veri admodum simile, ædiculam illam à B. Rumoldo siue Adone Comite, memoriæ Liberti in vitam restituti positam fuisse, atque vt tanti prodigij famam, auræque popularis ex facto fauorem premeret Rumoldus: Lamberti primi Malinatum Apostoli (cui cum Liberto magna vocis affinitas) nomini sacrisque cultibus addixisse. Quod quidem non à me temerè dici, facilè arbitrabitur, qui quàm bellè omnia sibi respondeant, maiori accuratione perspexerit. Nam & sacelli locus vix lapidis iactu à fluuio, neque decem ampliùs passibus ab antiqua illa regia Adonis abfuit. Debuit verò à Neptuni nepotulo Dilia, aliquanto spatio dissitum altiori tumulo eminere; ne cladem, quam ripis imposita tulêre sæpe, experiretur; tum vt humandis corporibus continens firma siccaque, non palustris aquarumue obnoxia cuniculis quæreretur. Verùm etsi hoc modo ab inundationibus Tyliæ liberum esse potuit; non tamen vt inter Mechliniæ calamitates recitat Gramaius, Mulciberi perinde irã & damna euasit. Celebre inprimis illud, quod an. 1375. omnes viæ Adegemensis domos incendium tantùm non solo æquauit, sicut duobus antè annis curiã & vicinas in vrbis meditullio habitationes foe-

Cap 10. vitæ S. Lam

l. 1. sect. 8.

ſœdauerat. Quæ cùm omnia ſenſim pulchriori, vt fieri ſolet, opere reſtituta fuiſſent: anno 1572 & 1580. à rebellibus Regi & Religioni, omne ſuburbanum plateatim ædificijs ſtructum immiſſo igne deflagrauit. Quâ contagione in cineres quoque abijt nunquam reparandũ, deficiente ſuburbiorum incolâ, quo de hactenus, Lamberti Sacellum. Diu tamen manſêre parietũ reliquiæ quædam, nuperque æquata ſolo rudera cum fundamentis, ſæpe oculis adiuimus; donec ſub vltimam illam Batani cum auxiliario Franco graſſationem, an. 1635. & biennio proximo excitatis paſſim ad portas propugnaculis, foſſiſque ad munitiones aquis cingendas ductis, veſtigia quæ ſupererant, aut diſiecta, aut molibus impoſitis oppreſſa fuêre. Et quidem memorandum illud tunc accidit, vt cùm ad agendas foſſas itum eſt in viſcera terræ; ex breui ſpatio, caluarum oſſiumque humanorum erutum ſit tantum, vt pluribus illa plauſtris ad vrbana Cœmiteria deportanda fuerint. Quod habitati frequentiſſimè ſubvrbani indiciũ ab oculatis teſtibus, ijſq; qui inter foſſores, certâ fide accepi. Ab his quoque & depontanis ſenibus, vici ciuſdem nuper colonis, iam accolis; ſacelli, ne quid deſideres, formam ita didici: longum ferè quinquagenos pedes fuiſſe, ſymmetricè latum & altum, perampleque auctum cœmiterio, in quod à ponte vrbis penſili tribus non ampliùs paſſibus, marmoreo aliquot graduum ordine aſcenſus fuit. Adeò enim Adegemiæ portæ non contiguum, ſed etiam continuum erat. Hincque in portæ ædificio, credo ad Eccleſiæ euerſæ memoriam, Lamberti gladio accincti, inſulati tamẽ ſpecie impoſita ſtatua hodieq; cernitur: de qua alibi iterum. Cæterum his ita narratis, operę pretiũ facturum exiſtimo, ſi Plutarchi imitatione, affinia quædam in diuerſis componam; neque tamen cum Valerio Maximo aliena & externa, ſed domeſtica tantùm & in vna familia nata exempla accerſam. Illud verò eſt, quod D. Swiberti ſanctitatis illuſtre teſtimonium, in Gocellino Bertholdi Domicelli de Grimberges primogenito filio prodigioſè exhibitum S. Ludgerus Monaſterienſis primus Antiſtes refert, ex eo Baron tom. 9. ad an. 804. Surius, 1. Martij, Haræus & Gramaius l. 2. Mechlin. ſect. 2. Præmitto autem, quod à Ludgero vocetur Bertholdus ſtrenuus Domicellus de Grimberges (mendoſè in editione Plantiniana Baronij de Geinbergen) habitans in Troia ſiue Xanthis, illic Caroli Mag. Imper. Præfectus. Deindè illud annoto,

Digitized by Google

verum vetusque Grimberghæ nomen, Greinbergam fuisse. Ita Gramaius: *Grimbergen verum nomen fecit fecunditas soli, quod enim modò Grimbergam dicimus, granorum siue segetis montem dicebant.* Alterum, quod ad rem propriè, ex eodem ipso vade & teste adscribo; Adonis Libertique genus ad Grimberganam transisse familiam per Machtildem filiam Razonis, quem nostrates Adonis fratrem & heredem scripsêre, hisque nuptijs Mechliniæ compotes Bertholdos factos, illi per quingentos ferè annos iure aliquo imperitasse. His expositis, prodigium ex Ludgero breuiter aggredior. Fama, infit, miraculorum S. Swiberti magis magisque increbrescenti, Leo III. Pontifex cùm in Germaniam ad Carolum Magn. perveniisset, Werdam, vt Swibertus in Sanctorum album præcipua quâdã celebritate referretur, cum Imperatore profectus est. Rumor conventûs tanti vicina loca pervolat, confluit eò ingens hominum multitudo, atque inter hos nobilis Domina Imgardis, Hildebaldi Colonienſ. Archi-Præsulis germana, strenui Bertholdi coniux, duabus tantùm pediſſequis & Gocellino annos octo & dimidium nato comitata. Iamque iter emensi nauigio, Werdam sub vesperum advenerant, cùm ad littus plurimas inter naues applicaturus nauta, ampluſtria mutat; Gocellinus ex colliſione nauium cespitans pedibus, ô dolor! in Rhenum præceps delabitur. Mater vbi lamentis & femineo vlulatu compleuit littus, ad fratrem Archi-Epiſcopum pergit, ab hoc in S. Swiberti Eccleſiam vesanæ instar mulieris ingreditur, ibique noctem insomnem exigens se voto obligat, si filium viuum recipiat, diuinis perpetuò ministerijs mancipandum. Die factâ Gocellinus diù multùmque quæsitus, vnco ferreo educitur, & matri exanimi deliquiumque passæ exanimis redditur. Vbi ad se redijt, puerum complexa ad S. Swiberti sepulchrum defert, nec priùs à lachrymis precibusque ceſſatum, quàm ille reuiuiſcens oculos aperit, matri loquitur, madidiſque vestibus exutus, eminentiori loco vnde ab omnibus videri possit, constituitur. Equo approperat pater, viuum reperit, quem mersum acceperat. Pontifex & Imperator miraculi nouitate stupent, Deum laudant: auunculus Archi-Præsul detractâ argenteâ torque, quam gerebat puer, Clericum creat, & Monasterio S. Swiberti ex parentum consensu perpetuò Deo seruiturum addicit. Huc vsque compendio S. Ludgerus. Tu verò quæ nos de Liberto

In Antiq. Braban.

l. 2. Mechl. fol. 2.

quæ

quæ ille de Gocelino, omni vtrimque fide retulimus, inter se committe: atque vtrum prodigium prodigiosius, vt ita dicam, & stupendum magis? tuopte arbitrio & ex re-ipsa termina. Ille 15. horas Rheno mersus; tres dies Diliæ aquis obrutus Libertus. Exanimis ille contis extractus; hic eodem loco qui ademerat, vitæ restitutus, per solidatum superâ virtute flumen se littori intulit. Ille turgido corpore, & veste fluctibus madenti receptus: nullum in Liberto mortis, submersionis, aut humoris in omni veste indicium. Quæ quidem omnia tam certâ fide subnixa sunt, vt in æde Metropolitana B. Rumoldi, cùm primaria huius celebritas Cal. Iulij quotannis recurrit, ista in diuinis officijs Oratio assiduò frequentetur: *Deus, qui intercedente B. Rumoldo Martyre tuo atq; Pontifice, labentis fluminis vndas tuâ virtute solidasti, & triduo submersum à mortis nexibus & de profundis aquarum absq; humore mirabiliter eripuisti; concede &c.* Nunc ad Vlmetum SS. Rumoldi & Liberti sedem, nouamque Mechliniam transitum facio. *In Officijs prop. SS. Eccl. Mech.*

DISSERTATIO VI.

Vlmetum è regione Mechliniæ, Monasterio & vitâ asceticâ à S. Rumoldo excultum, Liberto habitatum: & obiter de nouæ Mechliniæ initijs & Dominis.

GRati animi pijq; testimonium dedêre Gocellini parentes, cùm illum munere cœlesti sibi redditum, tonsum & Clericis adscriptum, diuinis muneribus obligarunt; prædiaque non pauca perpetuis temporibus possidenda, vti S. Ludgerus testis, B. Swiberti Monasterio contulêre. Neque profectò in hoc genere minor Adonis & Elizæ Liberti parentum pietas, à voluntatis illa tamen arbitrio, non voti necessitate profecta. Hi enim recepto filio, lætitia incredibili perfusi, cum diuinæ potentiæ mirabilium effectrici, quo par est cultu & religione, accepta tulissent omnia; Rumoldo etiam tot pridem titulis, ac noui accessione cumuloque beneficij devincti, nunquam satis idoneâ grati animi tesserâ nomina dispungere se posse fatentur: sua proinde

proinde omnia, qualia aut quanta forent in quibus filius primas facilè obtinuit, illi permissa offerunt. At vir S. reiectis opibus alumni quidem in se recepit curam; & loci tantum trans flumen, quantum Cœnobio ac templo ad perpetuas Dei laudes cultusque excitando satis esset, sibi advenæ concedi flagitauit, donationem scripto & tabulis firmatâ accepit. Ita Theodoricus & alij. At verò quòd aliqui locum illum non palustrem modò, sed deformiter horridum, & densis vepribus spinisque obsitum; neque tantùm, sed multo magis feris lupisque infestum faciunt: videor in his Plutarchi verba legere. *Quemadmodum*, ait, *ij scriptores, qui orbis terrarũ situm enarrant, cùm extremis tabulis ignotas sibi partes complectuntur, aliquando adscribere solent, esse illis in locis littora aquis destituta, aut feris obsessa cœnoue obsita; aut montes eò Scythicos, vel mare glacie strictum pertingere: sic ego vbi ad antiquiora illa pervenissem, haud absurdè dicere poteram, fidem excedentia esse in istis pleraq3, ac tragicè ficta, vt in quibus Poëta Fabularumq3 conditores versentur, neq3 fidem ea perspicuitatemq3 recipiant.*

In vita S. Rumol. c. 3

In Theseo.

Longiùs enim à feris istis efferisque Mechlinien sium moribus, de quibus ijdem, recessit Gramaius; vt potiùs locis cultûs nimium tribuere videatur: ait enim *Rumoldum impetrasse in pratis trans flumen locum ad extruendum sacellum.* Sicque Molanus etiam appellat. Credo tamen rem confectum iri, si pratis addes nemoris instar arboreta & vlmorum frequentiam, inter quæ Eremiticam ducens Rumoldus vitam, Ecclesiolam primùm B. Stephano, raptimque domicilium sibi excitârit: hisque sacris & felicibus auspicijs Mechliniæ nouæ seu Cisdilianæ fundamenta iactarît. Iustiùs enim nos de Mechlinia Rumoldi, quàm quod de Romuli Roma idem Plutarchus: *Nisi diuinum initium, magnumq3 & incredibile aliquod habuisset, numquam ad id potentiæ peruenisset.* Ridicula porrò illa, quæ de adhibitis Vrbi condendæ ritibus, vt florentem æternamque faxint, ille subtexuit: *Ad id negotiũ tanquam ad rem sacram ex Etruria viros quosdam Romulus euocauit, qui sacris quibusdam ritibus & literis singula præciperent ac docerent. Fossa rotunda demissa est prope Comitium, Fossæ nomen est Mundus, quod & cœlo tribuitur; Eâ deinde centri loco sumptâ, vrbem circum ædificant.* At hîc Fossam, imò cœlum aliud, & verè, vt res nunc sunt, centri locum meliori rituũ genere, neque Hetruscis superstitionibus, sed religionis Christianæ sacris cæremonijs Ec-

L. 2. Mechl sect. 3.

In Romulo

cleſiâque

Ecclesiâque exstructâ dedicauit Rumoldus, vt circa illam (quod felix esset ac faustum) in tantâ quæ visitur, amplitudinem & splendorẽ, vrbis Mechliniæ quandoq; pomœria proferrentur. De hisce initijs præter alia, extat insigne illud & 600. an. vetustius Balderici testimonium, quo ait: *Apud Maslinas Monasterium Canonicorũ esse, in quo vitam eremiticã ducens Rumoldus, inibi Martyrisatus est.* Idemq; addit *Monasterium illud ab antiquitate constructum, regalibus emolumentis suo tempore maximè augmentatum.* Ex quibus ante omnia, illud probè firmatur, B. Rumoldum cælestе quoddam vitæ genus, primum ac penè solum eo in loco, qui solitudo esset, exegisse: deinde quod Martyrolog. vetus Mechl. Theodoricus, Molanus, Domyns; confluente breui virorum aliquot pietate insigniũ frequentiâ, cœnobium à Rumoldo, siue Adone, vt sentit Miræus, id est huius opibus à primo lapide constructum fuit, in quo illi sub Præsulis ducatu ac disciplinâ, familiarem illi æuo Canonicorum, id est, Clericorum simul degentium viuendi normam amplexi, aliquod incrementum tanto sacratius, quanto exilius, Mechliniæ Cisdilianæ dedêrunt. Etenim quis ædiculæ huic, Romuli asilũ? *pusillo illi gregi*, obscuram & humilem (vt Liuius vocat) multitudinem hominum, imò colluuiem, & natam è terra prolem, ex qua Roma primùm coaluit, ausit impudens comparare? Illorum enim ignominias, si nescis, ex Plutarcho disce: *Vrbe primùm fundatâ templum perfugis securitatem præbens cùm constituissent, Dei Asilei, quasi è cuius templo abripere quemquam nefas esset, dictum; omnes ad se recepertum: ita vt neq; Dominis seruos, neq; nexum aris alieni caussâ creditori, neq; homicidas Magistratui dederent, oraculo Pythiæ omnibus impunitatem confirmari dicentes.* His non addo cædem fratris, virginum Sabinarum raptum, bellorumque primorum caussas, hospitij, pietatis, iustitiæ violatæ seminaria. Alia quippe, quàm bellatrici Romæ, Mechliniæ populari diuerbio Beatæ dictæ initia opus fuêre; & à sanctissimo & cælesti illo contubernio originẽ progressumq; suũ capere decuit. Vt lepidè meritòque etiamnum aliquis cleri pietatem & sitam in vrbis gremio basilicam laudans, in Mechliniam luserit:

Mœcha foret, si nil retineret viscere limi:
Limi ileò quiddam in viscere semper habet.

At enim hîc, Antiquitatum cupido nonnulli faciendum satis est scitanti, quis Cœnobij illius auiti, & Ecclesiolæ in Vlmeto primitiuæ locus sit exertè statuendus? Est enim ingens plan-

In Chron. Cameric l. 2. cap. 47.

In fast. Bel l. Iuiij.

lib. 1. c. 8.

In Romulo

Gram. l. 1 sect. 3.

Sturm. Sil. Epig.

Digitized by Google

planities pratorum hodieque ad eandem Diliæ ripam, muris penè adſita, neque alicuius magna pro parte propria, ſed quæ ab accolarum gregibus communiter depaſci ſolet, cuique Paludis Vlmoſæ, ſiue Vlmeti paludoſi à loci genio nomen perſeuerans hæret. In eo è vulgo aliqui, ſedem Rumoldo ſuam fixêre, ſed perperam. Nam antiquarum rerum conſulti prudenteſque arbitri, nomine Vlmeti etiam comprehenſum docent, non tantùm Begginagij nunc dictum prædiũ (in quo ad vrbis muros, Virgines Begginarũ titulo, cælibem vitam, ſed liberam agentes, pridem an. 1249. officinas & habitacula extruxerunt tanto ſucceſſu, vt habitatio earum inſtar oppidi, numerus eſſet aliquot millium; quo de conuentu Haræus in Henrico VI. Miræus in Chron. Ciſterc. Zypæus in Iure Pontif. nouo, tit. de Regul. num. 11. Grammaius l. 3. Mechli. ſect. 7. At nuperis turbis in cineres abijt) verùm eiuſdem nominis amplitudo, nouam quoque ſeu Ciſdilianam Mechliniam latè complexa eſt fundo perinde æſtuarijs interſecto, vlmorum feraci, atque adeò vluoſo & paluſtri; vt etiam longo poſt tempore, annoque 1300, rurſumque ſub an. 1306. Theobaldo Epiſcopo Leodicenſi & Ægidio Bertholdo Mechliniæ ditionem obtinentibus, lacus ſtagnaque plurima, quibus præcipuè vicus den Ham dictus, Coriariorum ſedes abundauit, terrâ ingeſtâ oppleta & æquata ſolo tradãt illius temporis memoriæ. Proinde vero propius quod Baldericus qui an. 1000. Eccleſiæ Cameracenſis annales texens, vbi quidem ab impijs ſicarijs necatus Rumoldus fuit, ibidem Eremiticam ſiue ſemotam à ſeculi tumultibus, cœnobiticam verò cum aſſeclis egiſſe vitam: Illicque monaſterium antiquitus ſtructum, & ſuo æuo opibus auctum fuiſſe, ſcriptis prodidit. At ſublatum è medio Præſulem duorum ſcelere fabrorum, vbi nunc ædicula eiuſdem B. Rumoldi titulo in cœmiterio viſitur, Malinatum conſtans eſt traditio; Idque aſtruit Balderici penè æqualis Theodoricus, cùm narrat nefarios homicidas, quo crimen celarent, S. Rumoldi corpus in proximas ſeu præterfluentes vndas, folijs & ramis tectum demiſiſſe: qui locus æſtuario licet ad aliquot paſſus arte coërcito, & Noſocomio Hiſpanorum ibidem fundato, etiam nunc è regione ſacelli monſtratur; eſtque illic ad oſtenſi cælitus luce ſuperfuſa Sancti pignoris religioſam memoriam, tum inundationis marinæ, quę certâ lege riparum frenata, hucvſque erumpere

erumpere nunc vetatur, indicium, puteus cum demersi Rumoldi effigie & epigraphe; languentium, præsertim febrientium morbis sæpe salutaris. Post priscos illos, recentiores etiam tibi testes aduoco. Molanus: *B. Rumoldi opus est monasterium Canonicorum apud Malinas. Situm erat in pratis, intra vlmos, sed paulatim Mechlinia ex parua vrbe Transdiliana adeò excreuit, vt nunc Collegium S. Rumoldi in meditullio vrbis situm sit.* Eadem Miræus cap 74. de Canonicor. Collegijs. Denique Gramaius: *Primò*, inquit, *obuium habemus Collegium Canonicorum, vetus illud & celebre, quod initia sua à D. Rumoldi aut viuentis, aut exaltati æuo repetit. Leodiensis historia in vita Notgeri Episcopi refert, qualiter is ex antiquioribus Diœcesis (vel certè ditionis) Leodinæ Ecclesijs, quæ per incursiones Barbarorum labefactata erant, decem, aut vt alij, duodecim restituerit.* Et post pauca: *Apud Scriptores lego, Notgerum 12. Canonicos instituisse, quorum numerus auctus sit à Gisila Comitissa.* Eadem scribit Ortelius in calce sui Itinerarij, Miræus in Annal. Belg. ad an. 1000. In notit. Eccles. pag. 653. Et in fastis ad 9. Aprilis. Iterū ad Calend. Iulij, vbi ista habet: *Ex Balderico colligi posse videtur, ante tempora Notgeri, Mechliniæ Monasterium aliquod fuisse, ab Adone Comite fortassis inchoatum, quod Notgerus postea prædijs & præbendis Canonicorum auxerit.* Imò Baldericus, regalibus emolumentis maximè augmentatum dicit: In qua voce ne hæreas (neque enim Regaliam Iureconsultorum omnes percipiunt) accipe ab antiquo scriptore S. Martini Abbate Tornac. quid illa fuerint Notgeri donaria, ex quibus Canonicorum duodecim non tam institutus, quàm auctus opibus numerus à Chronologo dicitur. *Chilpericus Francorum Rex,* inquit ille, *pro salute animæ suæ & fratris, iura sua regalia, quæ in Tornacensi ciuitate possidebat, inter Episcopum & Clerum distribuit. Episcopo delegauit monetam Ciuitatis, mairiam, iustitiam, districtum, aduocationem & Vinagia plaustrorum & vehiculorum, quæ venalia in Ciuitatem adferunt. Clero verò tribuit telonium, pontinagium, cunctasq; molendina quæ tunc erant in Scalda, eis superaddidit. Foragia verò camporum & reditus Vasorum vini inter vtrosq; æquis partibus diuisit.* Quæ speciatim iura licet Barbaris pleraque vocibus exprimantur, non magno tamen negotio à latinitatis peritis intelligi possunt. At hîc quæris, vnde Notgero Leodiensi Episcopo, ipsique adeò Leodinæ Ecclesiæ

1. Iul.

l. 3. sect. 4.

Miræus in fast. SS. Belg. fol. 203.

Digitized by Google

Ecclesiæ Mechlinienſis obvenit ditio, atque in ea iurium Regalium ſumma illa poteſtas? Obſcurum id admodum atque difficile, omniq; Labyrintho intricatius; quare in iſtis trepido pede imus;

Quale per incertam lunam, ſub luce maligna
Eſt iter in ſiluis, vbi cælum condidit vmbrâ
Iupiter, & rebus nox abſtulit atra colorem.

Pag 174. Delfius in Car. Pugnace ad an 1473. imputat attritis Bertholdorum diuturno bello opibus, atq; ita quidem, vt alterâ huius Dominij partem, Leodienſi Eccl. vendere graui neceſſitatis telo adacti fuerint. Sed cùm poſt an. 1100. arma primùm à Bertholdis ſumpta, & de rerũ ſummâ cũ Brabantiæ Ducibus dimicare cœperint: Notgerum verò conſtet ante 1000. Mechliniæ iura dediſſe; verum eſſe nequit, quodà Delfio aſſeritur. Huic Zypæus in Hiatu Caſſani obſtructo proximis diebus in lucem dato, fidem habuiſſe videtur, cùm pag. 140. *à Bertholdis ad Epiſc. Leodienſem ſolido iure Mechliniã abuſſe ſcribit.* Gramaius quidem l. 2. ſect. 2. ab altiori principio rem exorſus narrat, Monulphũ Comitis Dionantenſis filium Mechliniam à Guidone Arduennæ Comite ſub annũ 551. coëmptam cum Iupilia & Capræmonte donaſſe Eccleſiæ Leodienſi; ideòque paſſim *Patrimoniũ S. Lamberti* in veteribus Chronicis vocari. Dein facto gradu ad ſect. 3. ſectionem proximam, præcedentiũ immemor & Vertumno quovis mutabilior, Leodijs dimidiæ tantùm vrbis imperium attribuit, de modo quoque & primo poſſeſſionis tempore incertiſſimus. Putat enim, quòd Bertholdi alicuius filius (*Ioannem*, inquit, *vocant Arnoldi filium*) in Laubio Monachum induens, dimidium Mechlinienſis peculij ſecum traxerit diuiſo bifariam Dominio, iſtaque circa ann. ab orbe redempto milleſimum acciderint. *Hoccerium*, ait, *cùm Abbatia Lobienſis ob alterius Domini potentiam præſentiamque, parum hinc perciperet emolumenti: Abbatem initâ permutatione Dominium ſuum Epiſcopo Leodio tranſcripſiſſe, vt alij an. 971. vt alij an. 1004. vt alij an. 1171.* Verùm, amabò, quis huius narrationculæ color? aut quæ in tanta ambiguitate temporum, rerum certitudo ſperari poteſt? Vt enim non iterem Adonem à Pipino ſub an. 753. Mechliniâ donatum fuiſſe, certè de Ioannis monachatu ſententiæ velut fundamento vacillat fides, quem aliqui, Arnoldi Grimbergani à feritate *Barba draconis* appellati filium, hoc eſt, poſt an. 1100. finxêre: vt eodem, quo Delfius, modo refellantur.

Et

Digitized by Google

Et nôris semel Annaliũ illud genus, ex quibus vbertim talia scaturiêre, his rectè à Gramaio fuisse notatos: *sunt benè multi, qui dubiam historiæ Grimbergianæ fidem faciunt, tum quòd frequenter nugari videatur &c.* Non diffiteor tamen plerosque scriptis nobiles huius æui viros, in illam popularem sententiam de duabus Mechliniæ partibus, deque harum Dominis proprijs confertim abijsse: atque ita quidem, vt regio amplior, in qua Metropolitana Basilica, Episcopo Leodicensi paruerit; Bertholdis alterius trans Diliam partis, in qua Deiparæ Virg. Ecclesia, ius summum obtinentibus. Alij iterum indiuisim rexisse & possedisse malunt. Sed illi meo iudicio rem dixêre, inter quos præsidere dignus Nobilisſ. D. Henricus de Huldenberghe, dictus Vander Borch de Moersecа, qui Dominium penes Leodios, Aduocatiã ditionis huius Ecclesiasticæ apud Bertholdos fuisse sensêre. Hos quippe vno illo dignitatis nomine contentos, imò gloriatos non rarò subscripsisse, ex Diplomatum monumentis constat. Quod etiam ante me pluribus locis Miræus annotauit. Verùm quàm modesta subinde lingua, sic non semper æquè alieni abstinens fuit Bertholdorũ manus, nam ad cupiditatis naturam verè Lucretius.

Append. ad Mechl.

Notit. cap. 211. 220. 226. Donat lib. 2. cap. 93.

Deniq; auarities & honorum cæca cupido
Impellunt homines, iuris transcendere fines. *lib. 3.*

Hincque iusta illa & grauis apud Scriptores, Hugonis Leodiorum Episcopi querimonia, quòd *Nobilis vir Ioannes Bertout de Mechlinia, & sui progenitores, plurima & diuersa iura ac iurisdictiones Ecclesiæ Leodinæ à longis retrò temporibus in opido Mechlinienſi, & in villa de Heisse, & appenditijs earundem, per potentiam suam violenter occupassent, & adhuc anno 1300. detinerent occupata.* Ideoque ab Hugone factum, vt Ioanni 2. Brabantiæ Duci, Mechliniam in auxilij pretium præmiumque obligârit, si iurisdictionem, quanta primitus fuisset, ad suæ Ecclesiæ proprietatem revocasset. Præstiterat Dux Brabantus, cũ Theobaldo Hugonis successore in Curia Rom. mox litem indicente Episcopatui vrbẽ ille restituere cogitur: Præsulque an. 1308 certis conditionibus medijs cum Ægidio Berthoudt in gratiam redit, & conventionum tabulas conficit. Conditionum hæc summa: Dominium & Iurisdictionem oppidi penes Episcopum fore, cui perinde parebunt vici suburbani, & in territorio peculia iure vrbis gaudentia, Heuere, Musines, Humbeke

Mira. notit cap. 226. Chapea. in Hugone.

Mira. Cod Donat Bel. lib. 2. c. 113 Not. c. 226 Gram. pas. sim. Chap. in Theob.

Digitized by Google

beke, Leeſt, Heſſene, Noulant & Neckerſpoele; quæque ad huiuſcemodi villas referebantur. Advocatiam verò & dimidiam vtilitatum, redituumque in his omnibus portionem Bertholdis tribui: ita tamen vt quidquid dictis in locis aut poſſiderent, aut aliquando poſſeſſuri eſſent; clientelã profeſſi & ſacramento præſtito tanquam feudum ab Epiſcopo ſuſciperent. Scabini & vrbis primores, vt Bertholdi ſtent pactis, omni ſe ope & operâ acturos pollicentur. Neque illi tam duras, haud dubiè quòd æquas leges recuſarunt. Clientem ſe dixit Ægidius eodem tempore, eiuſque defuncti exemplo Florentius patruus (erronee Gramaio filius) ſacramentum clientelæ innouauit an. 1312. ferijs Apoſtolorum Principum. Quæ certè vel ipſe Gramaius, niſi Proteo ſimilis alia alibi loqueretur, etiam his ſuis verbis aſtruere poſſit: *Conſtat Ægidium Bertout eodem anno, certis conditionibus vicos ſuos & peculia in territorio Ryenſi ſita à Duce, Advocatiam Vrbis & ſuburbani ab Epiſcopo Leodienſi ſuſcepiſſe, vtriuſq; ſe clientem profeſſum. Quod idem Patris exemplo Florentius filius fecit &c.* Adhæc Ioannes Presbyter & Chronicon Gemblacenſe apud Chapeauilleum diſertè docent, in vltima illa Mechliniæ Flandro Comiti facta tranſmiſſione, Dominium vrbis à Leodijs, à Reginaldo Geldrenſi Comite Sophiæ Bertholdiæ viro Advocatiam venditam fuiſſe. Deniqué hoc pretium probat, quo Flander vtriuſq; iuris magis, quàm partis compos effectus eſt: nam Leodinæ Eccleſiæ ſummam 100000. librarum Turonenſium, vt Meierus ad an. 1312. Gram. lib. 2. Mechl. ſect. 3. & 4. vt Pontus Delfius, centum ſexaginta liliorum aureorum millia Comes numerauit, lege additâ, vt *ipſe & heredes Mechliniæ Dominium cum Gerardimontij & Bornhema tanquam feudum vnum & indiuiſibile* (Tabularum ſunt verba) *ab Eccleſiâ Leodienſi reciperet.* Reginaldus verò Geldrus Advocatiam & quicquid iuris poſſederat, ſummâ 60000. librarum ſimilium tranſcripſit, vt teſtis ibid. Meierus, & alij. Cæterùm quod iuuentuti hiſtoriã patriam lecturæ hac in parte tenebras offuderint multi, nullus, quod ſciam, depulerit, de ea, cui nihil eſt veritatis notitiâ gratius; quoad licet, benè mereri, operæ pretium duco: tum verònè Dynaſtas nobiliſſimos potentiſſimoſq; & clientelis & affinitatibus, ſad quos natales etiã referunt nonnulli conuictûs noſtri nuper & nunc alumni, Baronis Helmondani de Cortenbach, Prætoris quoque & Conſulis Lirenſium, van-

l. 2. ſect. 4.

tom. 2. in Adolpho c. 18.

Hoeſem. in Adolp. an. 1133.

In Carolo Pugn. an. 73

Van Mechelen siue de Mechlinia dictorum generosi filij, de quibus in Tabula sua Nobiliss. Vander Borch.) debitis autitisque dignitatum titulis nudare videar; dabis, æque Lector, veniam, si longiùs prouectus, suspicionis de dimidiata Mechlinia causſam & fontes prodam, deinde quàm non re vacuum Advocatiæ nomen olim extiterit; plusculis cum insigni tuo commodo & voluptate demonstrem. De hoc priùs, primùmque de honoribus. Miræus: *A multis retrò seculis magna atq; eximia dignitas censetur esse Advocatum, vel Subadvocatum, hoc est, protectorem alicuius Ecclesiæ. Sic olim Comites Louanienses Ecclesiæ Nuellensis, Bertholdi Ecclesiæ Mechlinienſis &c. Comites Durachienses Monasterij Trudonensis Subadvocati fuerunt.* Don. Belg. cap. 136. Lipsius lib. 2. Louan. cap. 6. Comites Louanienses *scribebant se & superbiebant in hoc titulo, Advocatos aut Defensores Ecclesiarum ac Cœnobiorum. Scribebant & reipsâ exhibebant.* Hîc taceo Imperatorem, Ecclesiæ Rom. & summi Sacerdotij de more se Advocatũ dicere: Godefridum Bullonium regij fastûs contempto titulo, Advocatum Dominici Sepulchri sese appellâsse: Denique hâc de re, non tanquam de asini vmbrâ, sed splendore nominis præcipuo, Francorum regem cum Flandro Comite quandoque apud Cæsarem lite contendisse; de quibus fusè Molanus. Post honores ad munia, prouentus, iuraque venio. Carolus Magn. Advocatorum cupiditatem iam suo æuo frænandam putans, in diplomate, quod Vtenburgensi dedit cœnobio, mandat, vt Advocatus triplici iureiurando fidem suam Abbati obstrict. I. se vtilis & iusti Advocati vices obiturum. 2. quidquid mulctarum exegerit, tertia retenta parte duas Abbati daturum, neque Subadvocatum Prælati iniussu à se creandum. 3. nihil priuati muneris vel seruitij à villicis, quasi debitum & iure, se expressurum. Quæ ratio passim alibi, vt autumo (de Trudonensi Miræus docet) seruata, nisi quod subinde plura pauciora pro indulgentia Præsulum emolumenta illi perciperent. Verùm fuit his in vsu frequens, quod Cæsari, Tullio teste, in ore assiduum: lib. 2. de Canonic. c. 46. Brusschius de Monast. German. Notit. cap. 90. vide t. 92.

Si violandum est ius, regnandi gratiâ
Violandum est, aliis rebus pietatem cola.

Quippe dum præfecturam despoticam in Ecclesiæ bona suæ tutelæ commissa gerunt, ius dicunt, secularis brachij vim exerunt: ac præsertim dum Principes negotijs alijs intenti Advocationem Nobilibus sæpe gerendam credunt; innumera in Belgicam Eccle-

Digitized by Google

siam mala, bonorum rapinæ, iniustæque vsurpationes passim inundarunt; ita vt postea Advocatis caruisse, etiam priuilegij loco haberetur. Horum fidem faciunt Molanus de Canonic. lib. 2. cap. 5. & 46. Delfius in stemmatibus fol. 76. Miræus Notit. cap. 18. 90. 129. &c. Sed pro cæteris Laubiensium Ascetarum ad Henricum Imp. suban. 1101. fas est exaudire querimoniam. Ita enim illi sortem suam asperam deplangunt. *Ego Fulcardus Abbas cum præsentis familia, super multimoda afflictione, & direptione prædiorum nostrorum, & facultatum ac pristina libertatis S. Laubiensis Ecclesiæ, proq; his omnibus penè subtractis clamamus, ad te, ô Cæsar &c. Modò habentur in villis S. Petri mille Advocati, imò raptores, in aliquibus quinq;, in alijs quatuor, crebrescentibus apud nos malis &c.* Cuius quidem labis culpatos grauiter ab Hugone Antistite Leodiorū Bertholdos superiùs dixi. Et verò licet, Ioannis Brabanti operâ, facilem viam ad recuperanda pleraque Episcopus tum nactus fuerit: tamen *pro bono pacis*, vt Theobaldus loquitur, inter ipsos conuentum; Dominio Præsuli sarto & tecto, ab hoc Advocatiam Vrbis & subvrbani Ægidius susciperet clientem professus: commoda verò quæcunque ex iudicijs, teloneis, alijsque; æquâ velut lance inter se partirent; cùm aliàs Advocatis nonnisi tertia vtilitatum portio deberetur. Ex quo certè vulgi illam sententiam, de Mechliniæ diuisa ditione manâsse, asserere non dubito. At enim, vt mecum principium petas, quo tempore aut quâ viâ primùm, Leodij summū istud Dominij genus adepti? Vt igitur de [illegible]mis Monachatu, vel de emptione seu permutatione cum Lobiensi Præsule tantùm addubitem, nec huic narratiunculæ vndique assentiar: nihil quidem video Leodios, nisi diplomata in archiuis suis diligenter seruari solita in medium adducere. Inter hæc nobile extat monumentum, quo Otho II. Imp. ann. 980. vt Miræus, cui m. s. D. Vander Borch suffragantur, Chapeauillius 981. Leodinæ Ecclesiæ possessiones auctoritatis suæ firmauit robore. Ita illud habet: *Nouerint omnes nostri fideles, quòd Vener. Episcopus Leodiensium Notkerus præceptaquædam nostris obtulit obtutibus, quæ ab antecessoribus nostris Pipino, Carolo, Lodouico, & item Carolo Regibus Francorum collata erant: Ecclesiæ S. Mariæ & S. Lamberti, & insuper à patre nostro Ottone. Imp. confirmata super vniuersas possessiones eiusdem matris Ecclesiæ, quarum ista*

Mira notit cap. 122.

Mira. notit cap. 69. Chapeau. in Notgero Bucherius in Chron.

sunt

sunt Capitales, Hoiam, Fosses, Lobies, Tungres, Maslines &c. vt omni publicâ potestate excluſâ in manu Episcopi singulariter consistant. Adijcit Imperialis sanctionis robur: *Vt nullus Comes, nullus Iudex, nisi cui Episcopus commiserit, audeat potestatem exercere super ea loca, neq; placitum habere, aut freda aut tributa, aut bannos, aut telonea, aut reditus de statione nauium exigere, neq; in quibuslibet alijs, quæ vel nunc habentur, vel de cætero habenda sunt.* In quibus ecce, amice Lector, clariùs expressi illi census, & emolumenta, dè quibus Baldericus, quibusque fauore Cæsarum ac Regũ potitus Præsulum aliquis, illa, vt splendorem opesq; Eccl. Mechl. augeret, per aliquantũ temporis eidem Notgerus contulit. Quis tamen isto potissimùm Mechliniæ traditæ beneficio Leodinam affecerit Ecclesiam, diuinus sit qui certò dicat, nam in diplomatis S. Henrici an. 1098. & Friderici Impp. an. 1155. quibus eadem illi iura ac similibus cum Othone sanctionũ verbis muniuêre, *asserunt à Pipino, Carolo, Ludouico, Lotharío, Item Carolo & etiam ceteris regibus anteceſſoribus & ſucceſſoribus eorum, Eccleſiam S. Lamberti* donatam Lobijs, loco qui dicitur ad S. Hubertum, Bronio, Gembluos, Fossis, Hoio, Tungris, Traiecto, Malinis. Vnde Nobiliss. D. Vander Borch, athicus noster, in Tabula sua Genealog. ad an. 1145. Sacerdotalis huius Dominij fontes diu ante Notgerum, ad ipsum propè Pipinum refert. Nam de Pipino addubitem, quòd ante Adonem ipse, annoque 768. satis concesserit. Imò si de re abstrusa & incerta cum ceteris coniectare licet, mihi probabile est minimè ante Stephanum Leodic. Episcopum Caroli Simpl. Francorum regis consanguineum, quique an. 920. viuere desijt, Leodijs Malinas paruisse; ductus ratiunculis, siue quòd Stephanus gratiâ apud Principes plurimùm præstitisse, & Ecclesiæ suæ multa peperisse narretur; siue quòd ceteris ditionibus vbique postremam, non aliâ credíderim quàm temporis caussâ succensèri videam: Deniq; quòd à Richario Stephani successore. Cierum Mechliniæ post vastitatem Normannicam restitutum fuisse nonnulli scribant, quod tamen Notgero plures vindicent, quâ de re copiosiùs dissert. 8. Illud autem Notgeri opus non controuersum, quod tum Leodico, tum Mechliniæ præstitit, muris vtrumque cinxisse. De illo Lipsius: *Adspice vicinum illud & vetus Leodicum; neq; id quidem muros habuit, nisi à 600. paullò amplius annis. Sigebertus: Anno D. CCCCLXX. Notgerus ordinatur Episcopus* lib. 2. Lem. cap. 5.

Leodicensium; hic muro vrbem circumcinxit & ædificijs honestauit. De Mechlinia huius encomiastes: *Et quidem Notgeri Episcopi Leodicensis*
Gram. l. 1. Mech. sect. 6. *aeuo sub an. 970. constat, Vrbis illud latus ab Hanswyckana, quæ tum Leodiensis vocabatur, vsq; ad Neckerspoliam portam muro fossisq; primùm munitam fuisse, aliâ parte ligneis sepimentis instructa, quæ tamen ante annum* 1300. *conformis superiori fuerit.* De Consilio caussaque meritò idem alicubi scribit: *Ceterùm cùm timeretur ciuitati à Barbaris, re-*
lib. 1 sect. 6. *ligioni à prædonibus, sub an. 970. vltra flumen producta pomœria, illudq; latus muro & fossâ munitum.* De Barbaris res in confesso est, adhuc enim supererant palantes

Relliquia Danaûm atq; immitis Vlyssi,

Gentisque Danicæ colonia & propago noua terrori erat, hor-
Apud Barō tom. 10. Surium 3. Septembr. rori tam recens memoria, vt illatas per eos orbi Christiano clades vidisse se scribat easque describat idem, qui Mechliniæ nouæ conditor dictus Notgerus in vita S. Remacli. Tantæ deinde pietati peregrinantium præsidia, Martyris & Apostoli meritis, miraculis, domicilio, sepulchro etiam ornamenta fuêre adsciscenda. Non ego tamen, quod Gramaius, abnuere velim, ante Notgeri mœnia annumque 970. aliquid cis Diliam, domosque paucas hîc fuisse: nam diserte Amplissi. D. à Wachtendonck, Cis-Dilianæ Mechliniæ
Cap. 38. principium statim à Normannis petit: & Molanus quamuis non ad temporis amussim, consentire his verbis videtur: *B. Rumoldi opus est monasterium apud Malinas: qui locus quantumuis à Nordmannis esset vastatus, tam celebris antiquitus fuit, vt connumeretur in portione Caroli Calui &c.* Itaque mihi verosimilius, paruis quibusdam initijs, à
Ansel. cap. 50. &c. Bucher. in Chronol Notgero nonnisi splendorem istic accessisse; vt quomodo Vrbis suæ elogio Pater patriæ (licet exterus & Sueuus) ac conditor propè alter nuncupari solet; ita à Scriptoribus nouæ Mechliniæ velut autor feratur, quòd huic murum primus excitauit, Canonicos 12. adhibuit, & forsan Ecclesiæ illo numero Canonicorum
l. 3. sect. 5. dignæ fundamenta iecit: Nam Gramaius; *Inter Parochias dignitate eminet D. Rumoldi, producto Vrbis vltra flumen pomœrio, per Notgerum Episcopum Parochia ius adepta.* Subditque: *Referunt memoria veteres post recessum Normannorum, loco vbi nunc templum est, extructam à conuenis Ædiculam B. Magdalenæ, quæ munificentiâ peregrinorum D. Rumoldi corpus visitantium in magnam excreuerit Ecclesiam.* Neque

tantùm

tantùm templum augustius his donariorum & pietatis subsidijs structum, perfectum: sed etiam prodigiorum insolentium, quæ post duo ferè ab obitu Rumoldi secula, hoc est, Notzeri ævo, ad Martyris sacrum corpus fiebant, fama percrebrescente & loca omnia peruagante, cùm assidui hominum huc concursus essent; Domicilia tanto successu ædificari cœpta, vt ab eodem Præsule, hodierno qui est, murorum ambitu area ædificijs condendis amplissima cingeretur: De quibus fusè Gramaius. Mechlinia igitur, quæ cis flumen tam sanctis initiata fuit ciuibus, scilicet Rumoldo Liberto, Himelino, alijsque Clericis in contubernio religiosissimè degentibus, cuius etiam idem qui à lapide primo fundator, *prima victima fuit, munitionemq; vrbis futuræ sanguine suo dedicauit* (vt de Remo Florus) paribus quoque sanctitatis auspicijs surgere, miraculis adolescere, à S. Præsule Notgero (ita Vsuardi Martyrologium, & fasti Miræani laudant) vallo & mœnibus sepiri debuit, vt Ciuitas verè Sacerdotalis, Archi-Præsulis & Primi in Belgio Cathedrâ seris temporibus decoranda; vtque *Ecclesiæ Leodicensis*, tunc vt potentissimæ, ita sanctissimæ *filia, & matris maximè æmula* foret, quo honoris elogio eam Antiquis pulchrũ fuit & frequens, teste Harigero, compellare. De Matre etenim ita Baron. in Lamberto. *S. Præsulis Corpus post 12, annos translatum est in Legiam, quæ ex vico creuit in nobilem Ciuitatem ex eiusdem Martyris gloria, atque miraculis ibidem iugiter editis.* Deniq; quemadmodum ad Sacerdotalium buccinarum sonum Arcæque præsentiam, muri olim corruêre lunaticæ Iericho: quique restituit, diris Cælitum obnoxius, in primogenito fundamenta iecit, in nouissimo liberorum portas posuit: hîc longè secùs ad Apostolicæ prædicationis Rumoldi tubam, in Liberto primogenito, cœtuque sacro collecto nouæ Vrbis emersêre initia.

Nam placidis hominum dictis fera corda mitigauit:
Doctâque vitam voce temperauit.
Iustitiam docuit, cœtus quoque congregauit vno,
Moresque agrestes Præsul *expoliuit.*

Virg. epigr in Orphea.

In Notzero quoque sanctitatis fœtu posthumo, obque pignoris sacri, velut Arcæ miracula, suprema quædam manus portis murisque locatis Mechliniæ imposita videri possit. Diu autem & 400. propè annis atque vsque ad annum 1333. illa regali Leodiorum Sacerdotio

Sacerdotio paruit. Quomodo autem ab his Bertholdisque iure solido ad Flandros, mox Brabantos transierit, à nobis Dissert. 2. delibatum; & rem obviam apud Historicos nostrates passim legis. Nam intelligo me in his longiorem fuisse, quàm aut voluntas opinioque mea, vel institutum tulerit: vt hactenus his immoratus ad Libertum iter relegere festinem.

DISSERTATIO VII.

De Liberti Clericatu & arrepto à pueritia vitæ genere: deq; instituto veteri simul viuendi Canonicorum, & eorum dictis Monasterijs.

ANtequàm de proposito vitæ & Clericatu S^mi. Liberti pluribus agam: hîc ante omnia, inque foribus, vt aiunt, librandæ & refutandæ quædam sententiæ. Adeò enim antiqua omnia non abstrusa modò, sed & controuersa. Ioannes Latomus Berganus, vir scriptis celebris, in historia sua Cœnobij Trudouensis, quam compendiosè scriptam dicauit an. 1566. R. D Christophoro à Blocqueryen, loci Abbati; Libertum nonnisi illustrem Laicum fuisse censet. Eius sunt verba in Rodegango XVI. Abbate: Normanni *cùm iam an.* 883. *Mechliniæ immanerent, Libertus Adonis filius, eius loci Princeps seu Comes, vt volunt, fugâ sibi consulendum ratus, ad hoc Monasterium aufugit &c.* Idem ante Latomum sensisse videtur F. Ioannes Brusthemius Ord. Minorum, cùm in Tabula Episcopor. Leodiens. & Brabantiæ Ducum an. 1542 edita scribit: *Cùm Normanni Mechliniam deuastassent, an.* 883. *Sanctus Comes Libertus causâ præsidij ad Ecclesiam S. Trudonis confugiens, in ea trucidatur.* Quibus nescio, an mos fingendi & in aris exhibendi Liberti imposuit; de cuius picturæ caussis postea disputabo. Verùm hanc narratiunculam Theodoricus Abbas apertè iugulat cap. 3. Vit. S. Rumoldi, vbi ipse hæc disertè: *Reduuius puer parentibus, immò à parentibus Rumoldo redditur*: postque breuem Vlmeti ab Adone Rumoldo dati historiam; *Adunantur illic Deo militantium copiæ, accrescunt omnia, quæ ad vsus pertinent Ecclesiæ vsque ad consum-*

Digitized by Google

Consummati operis summam. Ille ipse posthumus Libertus inibi adolescit & eruditur, postremò sub tanto Patre Dominico gregi praeficitur. Itaque reiectis laicis, ad paucos controuersia redit, quòd Rumoldi aeuo nonnisi aut Benedictinae familiae, aut Canonicorum coetus in Belgica haec nostra fuerint. Vtrius autem partis actio (nam contendunt) & ius vendicandi sit potius; non ego hîc iudex sedeo. Imò si vel tantùm in Senatum coopter, & à Praetore aliquo vrgear ad sententiam, ex vetere disciplina iudiciorum, mihi *Non liquere* affirmabo magis, neque spatium tamen mihi ad pronunciandum prorogari petam: tum quòd circa id rei densissimae desperatàque sint tenebrae; tum verò, ne litem in rem meam vertisse existimer, qui in Clericorum contubernio, priscorum coetuum persimili ac penè rediuiuo degam: neque demùm mei, quàm veritatis amantior illos imitari velim, qui zelo feruenti, imprudenti, magisque inutili Sanctorũ sibi potiùs vestes proprias facere, quàm mores studeant. Ideòque Bone Lector, si vel in syntagmate, aut in versibus alibiue, in alterutram propendisse partem videor; tanquam probabile admodum, non certum, à me dictum: rursumque huius disputationis argumento, dissertationis, non assertionis summam contineri intelligas. Cum Lipsio (licet alia in re) loquor: *Per me habeant Ascetae magni P. Benedicti. Vtramq; familiam amo*: alteram affectu habituque complexus; in altera, à puero sæpe versatus & gratus. *Sed mihi crede, neq; hîc, neq; ibi firmitas est: ventuli opiniones sunt, quibus nimis indulgent & ferri se ijs patiuntur ingenia quaedam huius aeui. Quis autem ferat te, aut alium pro arbitrio rescribentem? Dicamus quod res est: ignota haec esse, & Aeui caligine quâdam inuoluta aut sepulta.* In RR. PP. Ascetis Coenobij Trudonensis modestiam & candorem laudo, miror, & imitor (nam me, fateor, exemplo suo docuêre) quibus cùm exteri ornamenti tantum & sidus non vnum Ordinis sui quasi dissimulantibus deferant: tamen à suis Ciuibus Libertum Laicis etiam accensseri non indignantur. Nam & Latomus, cùm breuiarium illud pertexuit, Virginum Vallis S. Luciae, sui instituti Canonicor. Reg. S. Aug. ad muros oppidi S. Trudonis Rector fuit: & Brustemius in Conuentu Trudonensi FF. Minorum eandem suam tabulam ordinauit. Imò & ex Religiosis consortibus Petrus Crallus à Ginghelim, & Trudó de Busco, alijque rerum Coenobij sui Scriptores, cùm de Liberto mentionem

lib. 1. Vox. cap. 2.

Digitized by Google

ingerunt, non æquè sub Ducis sui signis militasse significant. Norant enim Viri boni & sapientes, Theodoricum Præsulem quondam suum, qui Acta B. Martyris Rumoldi ante annos 500. vrbaniori stylo donauit, hac in re perobscurum esse. Et certè non ea in florentissimo sanctissimoque Patriarchæ Benedicti Ordine, Cœlitum ac Heroum penuria est; vt dubios partus vel magnoperè desideret, aut supposititios vllo etiam modo admittat: quippe in magno illo Monachorum Patre completa fuisse videtur prisci Abrahæ Benedictio, vt semen eius & sanctimoniæ claritate & numero stellas exæquaret: Quomodo ferè ad an. 404. Baronius loquitur. Atque eadem de causa Clerici Canonicique, arbitrium litis in quoscumque facilè traijciunt, quòd laude hinc petendâ minimè indigeant, gnari quòd medio æuo plerique SS. Episcoporum ex suis cœtibus delecti, communi secum domicilio mensâque vixerint: Vt admirationi locus non sit, tot SS. Antistitum nomina ex Martyrologior. tabulis quotidie recitari; cùm olim vel ex Ascetis, vel ex Canonicis Asceticè simulque degentibus sanctissimus quisque, & ad regendum maximè idoneus de more legeretur. At, inquis, verba, rerum; Iunonis loco nubem densam substituis. Neque enim veritatis cupidum & curiosum hoc seculum rem sic indecisam feret; teque aut iudicem timidum, vel actorem suspectum criminabitur, qui diuerticula quæras, & de graui præcipuaque vitæ Liberti circumstantia silere velis. Noui inquam, hæc tempora, noui mores; quibus tricæ floccique res alicuius, imò magni ponderis, secùs quàm Maioribus visum, qui talium plerumque incurioſi, & pietatis sapientiæque magis, quàm scientiæ cupientes. Sed tu assecutos omnia nos putas, & contra Phauorini monitum, non tantùm verbis loquendum, verumetiam præsentibus moribus viuendum arbitraris. Vtinam inquam, illud! nam magis istud ergo: *Damnosa quid non imminuit dies?* Rem igitur iudicatam cupis? Ecce tibi omne litis instrumentum, quo inspecto, ego sedatiore animo nullum meum iudicium interponam, sed exquiram tuum; si forsan audita vtraque parte dispicias, quid statuendum putes.

Antonius *Ypes*, & Arnoldus *Vyon* Benedict. de Sanctis sui Ordinis scribentes, B. Libertū cum Rumoldo Duce, aliisq; vitæ sodalibus, sub S. Benedicti signis meruisse produnt. Horum opinionem Ampl. D. à Wachtendonck cap. 20. Actor. S. Rum. suo calculo firmasse

massè videtur. Postremò Ger. Moringus in epitome Vitæ S. Liberti (quam pagellâ absoluit) an. 1540. excusa ait, Rumoldum discipulos *sub professione vitæ monasticæ vnum in cœtum contraxisse: eòq; in cœtu Libertum ab ipsa adolescentia religiosè educatum, ad omnemq; pietatem ac virtutem probè instituram.* Atenim, inquis, hesternis istis nihil antiquius? Nihil de his Theodoricus ille, qui ante annos 500. magistræ regulæ propè Gandam professor, posteaque Trudonensis Abbas, B. Martyris Rumoldi res gestas scriptis tradidit? Neque enim talium aliquid fugere illum potuit: & ab huius potiùs fontibus, quàm à recentiorum riuulis pleraque talia petenda putem. Fugere, infis, illum nil potuit, qui Rumoldo tribus ampliùs seculis posterior? Quid de eius dubio domestico censes, Liberti Lypsanis nondum repertis? *Corpus S. Liberti, vt aiunt, (veri enim periculum ad me non recipio) illic ante ipsam Trudonis aram sepultum.* cap. 3. En adeò tunc verũ illud de Liberto, quod de Rumoldo Gramaius. *Sed enim vastante omnes circumcirca prouincias Normannorum rabie, in oblitionem penè abierat vita, & mors, & merita magni huius Antistitis; adeò vt in vulgo ignoraretur, censenduſne esset in Confessorum, an in Martyrum numero.* Quæ frequens assiduaquè Scriptorum monodia est, Normannicâ vastitate omnia propè monumenta indiculosque perijsse: Vt immortali beneficio sibi Theodoricus posteros deuinxerit, qui magnâ fide & iudicio (Vtinam & pari accuratione, si potuit) acta vtriusque ad nos transmisit Nam vt respondeam & rem dicam, Delio interprete hac in parte eget; atque ita, vt legenti, de ipsorum Monastice vix suspicionem moueat, neque hactenus suæ Trudonopoleos Ascetis aut ciuibus persuaserit, S. Benedicti regulam fuisse professos: vti superiùs à nobis dictum. Ego tamen, quia obscurus est, & trahi in partes potest; argumenta nusquam alibi lecta colligo, & ijs causſæ patrocinor. 1. Cur enim ab ipso Rumoldi gesta, nisi similis instituti ergò tam diligenter explicata credas? (2.) in quibus & semel illum, Patrem; (3.) & discipulos, nunc Dei seruos, nunc Deo militantium copias appellat. (4) Deinde sic acta illa concinnauit, vt panegyricus magis in celebritate aliqua Rumoldi dictus, quàm perpetua historia, vel institutio eius rerum narratio videatur. [5] Libertus persecutionis vitandæ studio ad Ascetas Trudonenses, tanquam, vt autumo, ad professionis cõsortes fugit. Quid bone Lector, frontẽ caperas, neq; lib. 3. f. 3.

Digitized by Google

vndique assentiris? Memini, ais, illius tui, imò Lipsiani: *Neq; hic, neque ibi firmitas est. Ventuli opinionum sunt.* Nam Theodoricum vel sola pietas in Rumoldum prodigijs coruscantem, vel sui Liberti paullò altiùs repetenda gesta, ad scribendum adducere potuêre. Patrem Rumoldum vocat? Id ab Abbate, Archi-Præsuli fideiq; Apost. iure tribuitur. Et verò an non serui Dei illi, qui tantâ sanctitate fulsêre? quâvis quis antiquâ lectione vel leuiter tinctus id nominis latè patêre nescit? De methodo scribendi tantùm dico, sua cuique saliua est & tractandi modus. Denique augur ille imperitus, & in Liberti rebus peregrinus fuit; qui similis instituti, non etiam amicorum causam, vt Sarcinium se reciperet, coniectatus est. Tu igitur sic sentis ac tibi sapis? magis in me experior: *Verba sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi.* Sed age nunc instrumentum omne diuersæ partis tibi intuendum resero, quod vereor, vt similiter probes, nisi validiùs tibi probauero.

Eccl. 12.

Miræus l. de Canon. Collegijs c. 74. de Metrop. Mechl. scribens, ista Molani ex natalib. recitat, eisq; suâ sententiâ adstipulatur: *B. Rumoldi opus est monasterium apud Malinas. Fuit autem ab initio fundationis non Monachorum, sed Canonicorum monasterium, quomodo in Chronicis Camerac. ante annos ferè 600. conscriptis nominatur. Quâ autem phrasi Canonicorum collegia, dici soleant monasteria in lib. 1. de Canonicis à nobis est explicatum.* Ibidem iterùm Molanus. *Libertum Beatus Antistes baptizauit, in sanctitate erudiuit ac clericis regulariter in Vlmeto, siue inter Vlmos viuentibus præposuit.* Paria iterat Miræus in notis ad reg. Canonicor. pag. 134. & alibi. His succedit Gramaius. *Primò,* inquit, *obuium habemus Collegium Canonicorum vetus illud & celebre, quod initia sua à D. Rumoldi aut viuentis aut exaltati æuo repetit. Chronologus certè Cameracensis, qui ante annos 500. scripsit, & vixit sacellanus Gerardi Episcop.* (suberat quoad res religionis Camerac. Ecclesiæ Mechlinia) *suo æuo describit apud Maslinas monasterium Canonicorum ab antiquitate constructum, & regalibus emolumentis augmentatum.* Balderici postea Nouiomens. & Tornac. Episcopi verba sæpe superiùs producta nunc rursum profero; quòd de his nemo scripserit antiquior: *Apud Maslinas monasterium est Canonicorum, vbi quiescit pretiosus Dei Martyr Rumoldus, genere Scotus; qui vitam Heremiticam ducens inibi Martyrizatus est. Hoc autem monasterium ab antiquitate constructum regalibus emolumentis maximè augmentatur. Ere-*

1. Iul.

lib. 3. c. 4.

Eremiticam, inquis, *vitam* audio? Rumoldi & assectarum magis monasticen ingeris; huius enim propria hominum & seculi fuga, Clericis ad humanos convictus commerciaq; factis, vt alibi dixisse te memini. Quod autem ab initio Monachorum fuerat, postea Canonicis, monasterium attributū reor. Tu, inquam tuo arbitrio sic sape & accipe, non veto. Ego tamen secùs interpretor, quòd vitam extra aulæ seculique strepitum, ac mundanis tumultibus liberam inter vlmos exigerent. Nam amabò, quanto spatio ab vrbe, flumine nonnisi diuisi aberant? An non quisquis horum & Clericum in publico agere, & *postquam domum se contulerat, relicto foris Clerico, duritiæ se tradere* poterat *Monachorum: creber in orationibus, vigilans in precando?* Quid verò tu ad istud? Cùm summa quædam & familiaris consuetudo inter SS. Rumoldum & Gummarum potentem in vicino regulum intercederet; hicque peculiorum partem, quæ in Renensi pago circa Liram amplissima possidebat, Diuinis obsequijs & piorum virorum vsibus vellet transcribere: Rumoldi, vt videtur, consilio & operâ, vel certè eiusdem & Sociorum sanctitate motus initia iecit Lirensis Canonicorum collegij, quod prædijs opibusque collatis & dotauit & ditauit. De eo sic idem Baldericus lib. 2. cap. 48. cùm præcedenti 47. Mechlinienſe, credo tanquam paullò vetustius descripsisset: Ledonæ siue Liræ *Gummarus illustris Laicus monasterium Canonicorum struxit, ibique sepultus diem resurrectionis exspectat.* Frontem video, corrugatam hactenus, nunc demum explicas. Age & Theodoricum, quia potest, in partes traho. Ac in primis interrogo, cur in omni Rumoldi vita neq; expressit verbo, sub eiusdem Ducis ac magistri signis stipendia fecisse? vel tam tenuiter suspicionem mouit, vt rationum, quæ putabam, pondera tam facilè diffluisse tibi sis visus? Parùm illud, at istud grauius: quod non Monachorum, sed Clericorum Cœnobium hoc fuisse, obscurè, vt solet, ipse ostendit cap. 8. vbi insigne miraculum refert B. Rumoldi, quo Landgerus Presbyter semel iterumque cæcitate corporeâ percussus est, vt animi eius ægritudo & superbia sanaretur. Hunc Landgerum Reu. adm. D. à Wachtendonck Decan. Mechlin. Theodorici velut ex monumentis alijs interpres descripsit *Natione Francum, ab ineunte ætate in familia Comitis Adonis educatum, quem B. Rumoldus in Collegium suum adsciuerat:* siue vt Theodorici sunt verba, qui *in Ecclesia B. Rumoldi coaluerat,*

S. Hieron. in epitaph. Nepotia

Cit. Chron. Leod. Agiol. Ruff. Vall.

Digitized by Google

& ceteros Ordinum minorum gradus præteruectus, etiam *in Presbyterum profecerat*. Sed honorum opumque cupidus cùm *stipendia quæ ex quotidiana debebantur præbenda*, velut parua *contemptui duceret* & dignitates ambiret; *pertinaci corde recessit, viamque suam ingressus est*: donec salubriter à B. Rumoldo correptus & oculorum visu priuatus, primò quidem vt canis ad vomitum rediturus; at vice alterâ serió vitam correcturus, *mediante B. Martyre, non tantùm oculis sed etiam mente illuminatus est*: Hucusque illi. An tu verò inficias ibis, præbendæ & stipendiorum voces quas audisti, proprias Clericorum esse, vt qui altari ex statu & officio seruiunt, de altari vicissim viuendi subsidia percipiant? Id te nescium, Iuris Canonici vel titulus ille, *De Præbendis & Dignitatibus*; vel ipsa Præbendæ finitio, quâ *Ius ex Canonia procedens* vocatur; vel eiusdem iuris hæc sanctio abundè docet: *Non est congruum, vt præbendâ careat, qui in Canonicum nosciture esse receptus*. Et quia antiquis caperis, noua fastidis; addo Clericos olim, qui priuatis in ædibus degebant, sportulas, vt vocauêre Veteres, id est, certam pro cuiusque merito nummorum vim per Episcopum seu Præpositum distributam accepisse; vt Pamelius in Cypr. epist. 34. & 66. & Molan. de Canonic. lib. 1. cap. 6. testes: eorum verò, qui communem agebant vitam, Cellarius, id est, Oeconomus congesta stipendia in vsus publicos priuatosque erogabat. Sic Patres, qui in Conc. Aquisgr. Canonicis regulam præscripsêre: *Debet procurare Prælatus, vt fratribus Cellerarium constituat, qui & stipendia fratrum fideliter seruet, & diligenti curâ administret, & in administrando nullatenus fratres contristet &c.* Deinde non te fugit, haud ita Monachis fas fuisse, stabilitatem, quam semel essent polliciti, irritam facere; vti hic Landgerus non pœnam fugæ metuens, sed præmium etiam, si Dijs placet, honores & opes alibi quæsiturus, ab instituto resilijt. Dedisse tamen pœnas, sed cælitus, iteratâ cæcitate narratur: vt nôris contra quorundam maledicentiam, etiam vbi nulla est votorum nuncupatio, semitas rectas iustorum & vocationem certam esse, à qua recessisse periculosum, & paterno Dei verbere sæpe castigandum. Denique habitationis locum, passim Rumoldi Ecclesiam (quæ phrasis Clericorum magis propria) non perinde monasterium Theodoricus appellauit. Coniecturæ, inquis graues & rationibus firmis non multùm absimiles; mihi tamen, alijsque non vulgaris iudicij & authoritatis viris hactenus negotium facessit; quòd proiectuum,

Cap. reg. 140.

Digitized by Google

qui hodie à Canonicis Metropolit. Eccl. obtinentur, plerique à Notzero Præsule, pauci à Geila Namurcensi Comite contributi sint: neque fundi à Rumoldo Libertoue possessi ad posteros transisse ferantur. Bono auimo, inquam, esto: nam leue est, quod torquet, & hunc tibi scrupulum facilè eximam. Quàm signatè Chronologus, non primam Ecclesiæ dotem; sed plus opum, & velut parapherna quædam à Notgero Mechliniæ circa id æui domino accessisse? *Monasterium*, infit, *hoc Canonicorum ab antiquitate constructum regalibus maximè emolumentis augmentatur*: Cùm scilicet, perquàm tenuia stipendia forent, quæque Landgeri, de quo modò, cupiditatem nequaquam explêssent. Addo dotem Ecclesiarum, tunc in ijs, quæ casibus essent obnoxia, domibus, villis, familijs, mancipijs [quorum operâ solitudines in agros aruos vertebant] teloneis, alijsque id genus vt plurimùm constitisse; quæ pleraq; per Normannos perijsse potuêre. Denique doceo & exclamo, o tempora! Clericis in cœtu agentibus præstanda stipendia, si pauperes erant; fuisse victum, vestitum & eleemosynarum partes: at si auitas, vel aliquas Ecclesiæ opes Episcopi nutu & beneficio possidebant; victu & eleemosynis in cõmune partitis contenti esse iubentur à Patribus Conc. Aquisgr. cap. 120. Imò verò paullò superiùs, cap. 107. monuêre, vt & pro ipsa alimonia aliquid pendant, & in communes ceterorum vsus conferant; hoc vtili præcepto addito: *Quòd si aliquid de fructibus suis, Ecclesiæ velut pro ipsa expensa sua contulerint: non se præferant inani iactantiâ illis, quos nihil habentes pascit & vestit Ecclesia*. Quæ certè præcipuæ æquitatis sanctio hodie apud Presbyteros Oratorij passim vsum & praxim obtinet. Rectè, ais, munera numerosque boni Rhetoris impleuisti: docuisti cum voluptate nostra, atque etiam, non dissimulo, mouisti; vt si aduersæ parti nil restat, pronuntiare non dubitem. Restat, inquam, & quidem permultum; quodque, ne sententiam feras, omninò prohibeat. Nostin illud, in Clericorum contubernijs Monasticen profiteri fas, imò laudatum fuisse? Testantur Patres regulæ Canonicorum architecti cap. 125. Tit. *Vt cucullas Monachorum, Canonici non induant. Valde*, inquiunt, *indecorum est, Canonicum vestem monasticam induere, nisi tamen cum veste etiam propositum voluerit assumere*. Id à multis factum, qui perfectionis maioris studio peculia abdicare, & clericali suæ communiq; vitæ penè omnem monastices

rigorem

rigorem solenni etiam, vt reor, sacramento adiunxisse curarunt. Hoc enim legere videor in illis Clericorum Werdenensium de S. Ludgero verbis: *Cucullam idcò non portabat, quia regularem nunquam promissionem fecit: sub Canonico habitu Monachorum perfectè vitam implenit.* Ita vt valde me mirari obiter intelligas, post hoc tam liquidum testimonium, postque institutam ab Alberto Crantzio eâ de re quæstionem [ex qua contra eius Monachatum, tela sumit in suo Propugnaculo R. P. Benedictus Hæftenus Affligemiensis Præpositus] Ludgerum à magno huius æui viro iterum S. Benedicti Monachis accenseri. Tenebræ, inquis; & velim tua industria eâ amussim adæquet hæc alibi à te scripta, Clericos illos gregales vix vllo spatio à Monachorum perfecta vita abfuisse: rursumque quæ hîc dicis, illos tanquam absolutius aliquid sæpe Monasticen amplexos fuisse. Imò & si gratiam à me inire voles maximam, age, & à primâ origine institutum illud olim tam celebre, at nuper, prò dolor! extinctum: nunc verò à S. Philippo Nerio alijsq; viris Apostolicis magnam partem instauratum, à teque susceptum, vt amas, fide & ordine pande. Heus inquam, bone Vir: *Quid me scribendi tam vastum mittis in æquor?* Non impetrabis, etsi ventus ad nauigandum secundissimus adspiret, vt in hunc Oceanum tam longè prouebar: multum si vel, vt tibi morem geram, littora terræ proxima scaphâ leuiore radam. Nam & operæpretium, & gratius plerisque facturum scio, si cum Floro, *quod solent qui terrarum situs pingunt, in breui quasi tabella totam eius imaginem amplectar: nouitiil, vt spero, in laudem principis instituti collaturus, si pariter atq; in semet præstantiam eius ostendero.* Aggredior, tu bonâ mente & linguâ faue. Nemo non eius infantiam ac cunabula in Christi Ducis auspicis, & Apostolorum contubernio consecrata, à primis ipsis religionis Christianæ deriuat temporibus: quando & *Credentium cor vnum & anima vna*; & ipsis ijsdem, Diaconis septem erogantibus, *communia omnia* fuêre, *Græcè*, inquit Beda, κοινὰ: *A quo nomine constat perfectos Dei famulos Cœnobitas, id est communiter viuentes; & Cœnobia, habitacula eorum esse vocata.* Huius originis vades, Patres illos habe, qui Ludouico Pio Imperante an. 816. in Synodo Aquisgr. Canonicis regulam dedêre, vbi legis & cap. 116. hunc Tit. *Quòd Canonica Institutio Euangelicâ & Apostolicâ auctoritate fulta, ceteris supereminear Institutionibus:* & capitis ipsius verba; *Quia euidenti auctoritate liquet*

c. 1. vita. eius. Mol. de Can. lib 2. cap. 11.

Rouen. de Missionib. part. 2.

l. 1. in prol.

Act. 4.

l. Retract. in Acta.

Digitized by Google

liquet, Canonicam Institutionem ceteris præstare Institutionibus; necesse est &c. De progressibus incrementisque ita Miræus aureâ illâ epistolâ, quam Canonicorum regulæ præfixit: Communis vitæ disciplina, quæ in Palæstina primùm sub Apostolis eorumque discipulis floruit, à PETRO Apostolorum principe inde Antiochiam, ac demùm in Occidentem, atque in ipsam Vrbem Romam est translata. Vnde non ineptè Hispani & aliæ nationes nostri Ordinis Presbyteros suâ linguâ Clericos S. Petri nuncupant. Idem porrò viuendi institutum Alexandriæ in Ægypto primùm à S. Marco Euangelista plantatum, & postea per Therapeutas longè latèque propagatum fuit: quorum penè cœlestem in terris vitam & sacra ministeria Philo Iudæus peculiari volumine, Euseb. l. 2. Hist. Eccl. Epiphan. Hær. 9. Hieron. in Catalogo. Scriptor. & alij describunt ac mirificè commendant. Therapeutas autem fuisse Clericos, non Monachos idem Philo subindicat, & Eusebius ac Nicephorus disertè affirmant. Hactenus Miræus. Idem quoque ab Apostolorum ceteris factitatum nefas est ambigere. Pro se loquitur Paulus in assiduis illis peregrinandi vicibus: *Ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.* Verùm cùm tepore primùm, mox frigore charitatis retro cessissent multi; *omnesque* posteà, vt queritur Apostolus, id est pleriquè *quæ sua* essent, *non quæ IESV CHRISTI*, quærerent: vix apud paucos etiam Clericorum, feruoris huius primi & priuæ rei contemptûs vestigia mansêre. Ita vt ipso Apostolico Senatu adhuc superstite, Clerum omnem in duas classes transisse ex PP. vero sit simile; Alijque communi cum Episcopis vitâ & communibus virtutum studijs vsi; alij seorsim & in proprijs ædibus degebant, subiecti tamen Antistitis imperio, quibus stipendia pro cuiusque merito, id est, nummorum vis certa & oblationum decimarumque portio, (hanc Sportulam vocabant) siue quotannis vt Pamelius, siue vt Baronius, mensibus singulis pendebatur: A quo quidem ritu manet hodieque Sportularum nomen apud Iureconsultos. Ita enim de his, tanquam quæ non æuo suo, sed ab omni memoria vsum haberent S. Cyprianus epist. 34. & 66. Aug. serm. 1. & 2. de Communi Clericorum suorum vita, D. Prosper de vita Comtempl. cap. 2. & 9. S. Greg. ad quæst. B. Augustt. Anglor. Episcopi. Quæ loca relatu dignissima prolixitatis vitandæ studio cogor præterire. Præter hos erant Acephali Clerici, qui

Euseb. lib. 2. cap 16. Nic. lib 2.

Act. 20.

Phil. 2.

Pam. in Cypr. l. delapsis. Bar ad an. 72. & 502.

c. 22. Regula Canonic. cap. 01

Digitized by Google

qui vagi, & errabundi nulli parebant Episcopo, quosque Concil. Moguntinum Hippocentauris ob vitæ effrenem licentiam similes vocans, seuerè à Præsulibus coerceri præcipit. Putat autem Molanus S. Augustinum ideò à Pio V. S. P. *primum Apostolici Ordinis Reformatorem* dici, quòd cùm à limpidissimo illo fonte longiùs riuis manantibus, luti aliquid sordiumque mundani luxus, disciplina illa purior contraxisset: *ipse* [inquit] *moribus Clericorum valde accommodatam scripserit Regulam.* Ego crediderim, ob restauratam vitæ vndequaq; cõmunis, vt in Apostolis viguerat, absq; ue vlla peculiorum aut proprietate vel vsu suo formam; quæ tamen in plerosque Clericorum conventus ex permissu Canonum pridem irrepserant. Inculcat quippe identidem Aug. ista. *Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus & Ecclesia sua; maneant vbi volunt, & vbi possunt: non eis aufero Clericatum.* Et serm. 2. *Dixeram, seorsum manerent, & seorsum viuerent; quomodo nossent, Deo viuerent; & tamen ante oculos illis posui, quantum mali sit à proposito cadere.* Errat proinde Azorius Canonicorum secularium, vt vocat, à regularibus hoc discrimen faciens; quòd illis liberis, hi votorum triplici vinculo tenerentur: ambo tamen iuxta Apostolorum regulam rerum proprietatem æqualiter abdicarent. Canonicos enim quos seculares nominat, propria possediſſe, siue auitæ aut industriæ partæ hæ forent opes, siue res Ecclesiæ benè meritis ad tempus, vel quoad viuerent, concessæ ad Ecclesiam postea reuersuræ (vnde Baronius ad an. 502. beneficiorum ducit originem) luce clariùs statim apparebit. Rursum verò neque clericatui monastices exercitia sanctimoniamque ita primus adiunxit Augustinus, vt ante illum alius nemo, cùm in Oriente passim id fieret, & S. Eusebius Vercellensis inde domum ab exilio reuersus, anterior primusque in Occidentalibus partibus *officia Clericorum & instituta Monachorum diuersa inter se coniunxisset*, vt S. Ambr. epist. 32. loquitur: Martinus Turonum Antistes idem in Gallijs præstaret, sed licet pari fortè pietate, non tamen vbere æquè prouentu, quòd Augustinus latè per Africam, Fulgentius exul in Sardiniam; Gelasius, postea Pontifex, in Vrbem; alij in alias orbis partes reparatum illud Apostolicum viuendi genus propagarint. Et verò quamvis non infrequens, minimè tamen omnis, qui in cœtibus degebat Clerus, Augustini placita complexus est; sed plerique ex Canonum singulis in

lib. 1. de Canonic. cap 7. in Bulla ad Officia Laterani.

Vide 2. ser. Augustl. de Com. vita Clericor.

serm. 1. de Com. Vit. Cler.

tom. 1. lib 22. cap 22

Digitized by Google

in Prouincijs latorum normâ, vitam in communi, magnâ disciplinæ laude, & cum vberrimo Ecclesiæ fructu instituere perstiterunt: hincque sub medium æuũ, & paullò ante Caroli Magn. Imp. tempora, quando maximâ sanctitate hi Conventus floruêre; quòd illi accuratè ex Canonum præscripto viuerent, illustre Canonicorum nomen emersit. Quia verò Institutum religionis præstantiâ celebre nôsse exactiùs cupis, primùm summulam huius extrinsecus & foris conspicabilis breuiter tibi ex Conc. Aquisgr. demonstratum eo. Aiunt igitur Patres: *Quanquam Canonicis, quia in sacris Canonibus prohibitum non legitur; liceat linum induere, carnibus vesci, dare & accipere, proprias res, & Ecclesiæ cum humilitate & iustitia habere; quod Monachis, qui secundum regularem Institutionem arctiorem ducunt vitam, penitus inhibitum est: non tamen in cauendis vitijs, & virtutibus amplectendis, eorum à Monachorum debet distare vita.* Specimen deinde Disciplinæ totius domesticæ mirandum veriùs nostris temporibus, quàm passim imitabile viuis adumbrat coloribus Reg. eiusdem cap. 123. cuius hæc verba: *Sicut Prælati subditis necessaria corporis tribuunt; ita nihilominus studere debent, vt ijdem religiosissimè ordinem Canonicum seruent, & Prælatis suis ac Magistris honorem debitum impendant. Vt Horis Canonicis Diuinum officium deuotissimè expleant, intus foriſq; non solùm actu, sed etiam incessu irreprehensibiles existant, vt non otio vacent, non vaniloquijs inseruiant, non detractionibus & ceteris vitiorum illecebris, sed potiùs aut orationi, aut lectioni, aut quibuslibet Ecclesiæ vel proprijs vtilitatibus vacent; aut etiam doctrinis sanis, & diuersarum artium exerceantur disciplinis: ita videlicet, vt nullus in Congregatione inutilis aut otiosus existens, stipendia Ecclesiæ inofficiosè accipiat. Vt quotidie ad Collationem veniant, vbi hanc Institutionem & aliarum Scripturarum Sanctarum lectiones perlegant, & pro admissis veniam postulent, & sententiam pro qualitate admissi suscipiant, vbi etiam de communi profectu, & vtilitate Ecclesiæ pertractent. Vt omnes in Dormitorio, nisi quem infirmitas aut senectus id facere prohibuerit, dormiant. In Refectorio quotidie vnà reficiantur, nisi fortè quem necessitas abesse compulerit, & hoc non sine licentia Magistri fiat. Illis quoq; comedentibus & silentium religiosè tenentibus, continuatim legatur lectio, & ab his intentissimè audiatur. Vt vicissim in Refectorio, & ceteris communibus necessitatibus sibi fraternitatis officio seruiant, vt nullus foras, nisi per licentiam,* egre-

Mir. in ep. vbi sup. *Baron. ad an. 1065.* *Cap. 115.*

egressus quoq; nullum de se detractioni locum det, sed magis imitabilem se cunctis exhibeat. Hanc igitur geminam spiritualem & temporalem pastionem Prælati, sibi commissis quibus impendere instanter procurent, vtpote pro animabus eorum Domino rationem reddituri. Plura etiam istis, & perfectiora complectitur caput 100. Regulæ. Ex quibus sententiam ferat æquus Iudex, quàm vix vllo spatio Clerici à seueris Ascetarum institutis abfuerint; si Canonicorum ille vitam non vulgarem, inque virtutum exercitijs assiduam diligentiùs perpenderit. Tum ex his facilè intelliget, cur habitacula eorum, monasteriorum passim voce per illud ævi nominata fuerint. Molanus quidem ex Balderico Chronologo 18. eiuscemodi numerat, (in his fuit Mechlinienſe) quæ dum scriberet sub an. 1050. Camerac. Episcopi legibus parebant. Has enim omninò causas nomenclaturæ illius & locutionis figuratæ reperio. Prima, quòd Clericis, perfectionis quæ in Charitatis & virtutum studio sita est, deesset nihil; & vota tantùm vitæ perfectæ adiumenta non profiterentur. Ita Molanus sæpe & multis. Altera causa, quòd sua illi perinde claustra muris vndequaque septa, adhæc dormitoria, triclinia, penuaria, officinas, bona denique Ecclesiæ communia haberent. De his Concil. Aquisgran. cap. 117. *Necesse est, vt Præpositi claustra, in quibus Clero sibi commisso Canonicè viuendum est, firmis vndique circumdent munitionibus, vt nulli omninò intrandi vel exeundi nisi per portam, pateat aditus. Sint etiam interiùs Dormitoria, Refectoria, Cellaria, & cetera habitationes vsibus fratrum in vna societate viuentium necessaria.* Addit Barbosa ex Conc. Turon. sub Carolo Magn. celebrato cap. 23. citato Aquisgran. cap. 144. Agathensi & Laodiceno: Mulieri in illa pedem inferre nefas fuisse, neque plures, quàm ferrent Ecclesiæ facultates, ab Episcopis recipi solitos aliaque plura, quæ delibauimus. Additque ista didactice: Canonici à canone, id est regula vocabantur; quia Canonicè & sub Regula viuere tenebantur cum Episcopo, communi mensâ & Dormitorio vtentes. Et sic Episcopi perfectioni suo statui valde congruæ ritè vacantes, religiosam vitam cum suis Canonicis ducebant. Idem paullò superiùs cùm vitæ illius speciem animo complexus etiam scripto aliquòvsque tradidisset, affectui & voci vix temperans, exclamarat in sequentia: Quàm beati tunc temporis Canonici! quàm felices Clerici intra Ecclesiæ septa habitantes, nec vllum periculosarum discursatio-

In Chron. Camera. Molan. lib 1 de Can. cap. 12.

cap. 1. num 46. de Canonic. & dignitat. Reg. c. 116.

cap. eod. num. 2.

Digitized by Google

discursationum, mundanarum occupationum, celebrandarum comessationum, conueniendarum mulierc ularum, exercendarum grassationum, libidinum, turpitudinum occasionem habentes; sed diuinis tantùm contemplationibus, laudibus, precibus, concionibus, officijs, cantibus, sacrificijs vacantes, & tanquam Angeli quidam terrestres, in paupertate, castitate & obedientia degentes, & solam Dei gloriam, & suam aliorumque salutem procurantes. Tertiam causam translati ad Clericorum ædes Monasterij nominis subministrant Molanus & Miræus in notis ad Regul. Canonicor. Quòd quamquam initio inter Clericos & Monachos permagnum fuerit discrimen, hique plerumque laici, procul à seculi tumultibus subvrbana, & sæpe deserta loca expeterent; illi verò sub Antistitum manu, horumque in regenda plebe adminiculatores medijs in vrbibus habitare cogerentur: posteà tamen, suadente id publicâ vtilitate & exigente quandoque necessitate, permixta fuerit vtriusque instituti dissimilis professio: siue quando Canonici quidam perfectionis, vt dixi, maioris studio, Clericali suæ vitæ, Monasticũ rigorem medio solenni sacramento adiunxerunt, quòd nemini volenti negatum, nedum Canonibus vetitum fuisse certum est. Sed tunc potissimùm facto vsus fuit, cùm sæuiente vel paganorum vel hæreticorum furore, Monachi cum Clericis communem passi diuexationem ad supplicia, exilia, necem quærebantur. Nam quò præsentes illi pœnas declinarent, ad tutiora sæpe profecti loca tantâ animorũ concordiâ sub Antistitum principatu degebant, vt cor vnum, vnamque animam in diuersis institutorum studijs habere viderentur. Exemplum promit Molanus in S. Fulgentio in Sardiniam cum pluribus relegato. Aliam denique necessariam, neq; infrequentem mixtæ vtriusque vitæ causam obseruo; quòd cùm subinde Monachi Canonicorum Patres formatoresque fuerint, ex Monachis rursus sæpissimè ad Episcopatus culmen conscenderent, quibus cum Clero vita cætera transigenda foret, illis habitum monasticum cum pietate seruare, operæ pretium & decorum fuit, potestate alijs factâ vt vel ad Canonum normam vitam exigerent, vel liberè perfectiores instituti ascetici regulas eodem in loco amplecterentur. Clarissimum illud in Willibrordo eiusque socijs, qui ab Ecgberto Abbate diuersis è monasterijs delecti, Traiecti, Werdæ, alibique sacros Canonicorum cœtus statuere

l. 1. de Canon. c. 11.

Molan. in Natal. ad 25. April.

Digitized by Google

tuêre, rexêre: in quorum Traiectensi B. Ludgerus Cucullam, vt superiùs dictum, ideò non portabat, quia regulari numquam promissione sese adstrinxerat; Willibrordo alijsque, qui monasticen professi, Cucullam Monachi insigne de more gerentibus. Primus omnium S. Vnwanus Hamburgensis Archi-Præsul, vti in sua Me-
lib 4. cap. 1 tropoli scribit Crantzius, sub an. 1020. Congregationes apud Ecclesias Cathedrales, aliasq; ad Canonicam perduxit Regulam, quæ anteà pleræq; ex Monachis & Canonicis conflatæ fuerant. Causſa diuortij inferendi, quòd vtráque conuersatione turbatâ degebant, non vigebant. Non igitur profectò imperitus & pedarius sis Senator, si in hanc fortè sententiam iueris; Rumoldum & Libertum solenni votorũ vinculo quandoque constrictos fuisse; non eâ quidem causſâ, quòd Monasteriũ fundâsse & habitâsse legas, cuius catachreseos reseratos semel fontes latiùs non deriuo: sed quòd ipsi vel Ascetas consũmatissimos in Vlmeto suo (quod virtutis omnis & disciplinæ seminariũ iure nuncupâris) sanctimoniâ & rerum caducarum contemptu non æquarint modò, sed multis etiam spatijs præuerterint. Vt libenter eum omnia simul ac semel abdicasse credam; qui patriâ, parentibus, Dublinaensique cathedrâ relictis, priùs etiam sceptrorum contemptor, Apostolicum non tantùm munus prædicatione obijt: sed etiam sanctitatem paupere perfectoque viuendi genere expressit. Cuius rei testes pauciſſimi tresque illi tantùm denarij in trucidati crumena à sicarijs reperti. Neque ambigo nobilem opulentumque iuuenem, paupertatis Euangelicæ simili ardore succensum peculiorũ patrimonijque ampliſſimi, quò CHRISTVM lucraretur, iacturam feciſſe, illudque magnam partem in egenos erogasse. Tantisper hæreo, inquis; quòd Canonicos sæpe etiam res proprias abiecisse nôrim: sed hoc opere nonne ad Monachatum eos transisse consentaneum est affirmare? Rectè inquam, suggeris, & facis vt tecum ad dubitem. Scio tamen illud, quod Regula Liberto adhuc superstite Canonicis tradita, non laudi factum magnopere vertat; sed in animi virtutisque imbecillitatem conferat, si res proprias illorum quidam abijcere non possent. Verba Regulæ ex Prosp. de Vit. Contemp. l. 2. c. 12.
Reg. c 10 sumpta sic habent: *Illi autem, qui tam infirmi sunt, vt possessionibus suis renuntiare non possint; si ea quæ accepturi erant, dispensatori relinquant nihil habentibus conferenda, sine peccato possident sua. &c.* Et cap. 3.

ex

ex eod. lib. 2. Prosp. cap. 9. *Expedit facultates Ecclesiæ possideri, & proprias perfectionis amore, contemni &c.* Rursum regulæ cap. 111. ex Prosp. 14. cap. *Deus ordinauit his qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere. De Euangelio viuunt, qui nihil habere proprium volunt, non suorum, sed communium possessores.* Denique vt eiusdem reg. capp. 94. & 99. quæ sunt de hac re tota breuitatis studio præteream: Prosper cap. 16. ad hunc priuatæ rei contemptum Clericos prouocans sic paræneticum claudit: *Proinde quem possidendi delectat ambitio, Deum qui possidet omnia, quæ creauit, expedita mente possideat; & in eo habebit, quacumq; habere sanctè desiderat. Et quid potest eo esse felicius, cui efficitur conditor, census; & hereditas eius dignatur esse ipsa Diuinitas? quid vltra quærit, cui omnia suus conditor est? aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit?* Vereor in his citandis aut referendis penè immodicus esse; ex quibus tamen apertiùs istud liquet, quamvis Patribus id consilij minimè fuerit, necessitatem vt inferrent, onereque multis importabili infirmorum humeros lassarent, (quod cap. 115. alibique loquuntur) tam multa tamen de proprijs abdicandis rebus Canonicorum regulæ inserta, quis illius ævi ea de re consensus fuerit: & pluribus Apostolicæ huius vitæ æmulis futuris auctores quàm esse cuperent PP. testantur. Illi laborem namq; sibi prorsus superuacaneum sumpsêre, qui pro regula illa Canonicis voto liberis asserenda vindicias scripsêrunt, de quibus Miræus pag. 2. Notar. in eandem reg. Certè, inquis, de Rumoldo ac Liberto (non item de Landgero) insignis eorum virtus atque omni numero absoluta sanctitas suadet: Sed vereor, vt in spem nonnullos erigas, qui Canonicis Regul. Augustinianis (nam hos statûs necessitas religiosæ abrenuntiationi adstringit) collectum à Rumoldo cœtum assignare velint. Ego, inquam, nullum huius rei recens vel antiquum vestigium hactenus reperi: imò Latomus vir doctus ac instituti illius professor Laicis superiùs Libertum adscripsit: & suam nuper suorumq; sententiam à me rogatus amicus quidam meus eidem regulæ addictus, & in sui Ordinis rebus cum primis versatus, nihil ad firmandum probabile, nedum certum afferri posse magno candore ac modestiâ respondit. Nam Annales illi plebeij, qui Virgines Lætimontis ad Augustini præscripta viuentes, à D. Rumoldi ævo extitisse, eiusque sacri corporis custodiæ adhibitas tradunt; quales quæso illi sunt? Nempe quos cum semidocto

aliquo

Digitized by Google

aliquo somniculosa anus condidisse, & fabulis referssisse videatur. Tum suspicio illa leuis, quòd B. Rumoldus gente Scotus fideique præco, ad exemplũ S. Patritij Scotorũ Apostoli ex August. norma vitam rituſque composuerit: Imò idcircò vana; quod & ipse Patritius S. Martini Turonensis ex sorore nepos, ab auunculo Clericus creatus in eius discipulatu tirocinij quadriennium egerit; neque sit probabile, posthabitis ritibus mixti perinde clericatus & monastices, quos Martinus genere & sanctimonia tam propinquus iam ante Augustini conuersionem suis tradiderat, huius habitum & regulas Patritium amplexum fuisse. Qua de re Baronium consule ad an. 431. Postremò neque illud plus virium habet argumentum, quod ex picturis veteribus, res Rumoldi gestas per ordinem in huius sacello exhibentibus deduxit aliquis: in quarum vltima Canonici duo ante Reliquiarum Rumoldi feretrum, pro stipe peregrinantium acceptanda sedentes, quasi regulares exprimuntur amuciâ (sic Baysius vocat) vtrimque ex collo pendente. Nam certé quod pridem in istud genus omne iactatum; *Pictoribus atque Poëtis Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas*: in hunc sui seculi Apellem vel maximè conuenit, qui alibi aliter, & quàm liberè? etiam vario colore, cæsio & rubeo Canonicos eosdem induit: Ideòque abs fidei tam incertæ auctoribus, (omitto quòd 200. annos vix superent) petenda pro clericatu testimonia minimè putaui, cum alioquin B. Rumoldi socios (in his Libertus iunior conspicuus) habitu sui æui Ecclesiastico, talari, pullo, simplici & puro, pileo etiam birrho caput tegente donârint. Istud tamen in artifice nobili magis placet, non Canonicos Regulares pingere, sed antiquitatum, imò suorum propè temporum non se imperitum ostendere voluisse. Primæuus enim, vt Molanus docet, pellium amuciæque vsus quibusdã locis, signatè Louanij, vsque ad an. ferè 1400. frequentatus, fuit; vt eæ non humeris modò, sed capiti tegumentum essent: vnde hodieque apud Camerates, à Canonico Missæ solemnia peracturo amucia capiti induitur. Verisimile autem cultûs maioris cupidos plerosque postea in læuam transtulisse; magisq; vt vereor, secùs ac Cassianus de Ægyptijs Monachis: Vt non *ita* tam *planeticarum atq; birrorum pretia simul ambitionemq; declinarent*, quàm ostentarent, tunicarum Adæ, huiusque vitæ miseriarum immemores, ad quas denotandas pellium istarum vsus primùm vsur-

De re Vestiaria cap 16.

Hor. in arte Poët.

lib. 3 de Can. capp. 5. 6. & 9.

lib 1. de Inst Cœnob cap. 4.

Digitized by Google

vſurpatus fuit. Et quoniam ad picturas opportunè ſermo delapſus eſt: Scitari quis iure poſsit, num contra Synodor. Matiſcon. & Trident. placita, imagines S. Liberti erroneas ædibus ſacris ariſque adhiberi putandum non ſit; quòd eum, Clericum certò Monachumue, ſui Ciues equeſtri paſsim ſpecie, & ſago ſeu paludamento indutum exprimunt, haſtam inſuper galeamque *coruſcis*, vt cum Italico loquar, *ſeſſ. 25.*

Subnixam criſtis tribuunt, *cui vertice coni* *lib 2.*
Albentes, niueæ tremulo nutamine pennæ.

Vt reſpondeam, ego in primis inficias nunquam iuero, longè aptiùs ad hiſtoriæ fidem, decus Ordinis ſacri, & fortè pietatem excitandam (quò imaginum vſus ex Conc. Trid. decretis præcipuè referendus eſt) Clericali ſpecie Libertum exprimi poſſe, ſiue ſacro velis, & proprio Sacerdotum aris operantium habitu; (hoc enim gradu diuinis miniſterijs initiatum fuiſſe, proximè differam) quemadmodum SS. Presbyteros & Martyres Platum, Quirinum, Simetrium, Oduinum, alioſque noſtratibus exhiberi mos eſt: ſiue malis ſuper lineam veſtem, amictum lacernâ ſeu pallio fluente (cappam vocant) ſine pedo, ſed palmam Martyrij inſigne præferentem reddi: vices enim Antiſtitum Abbatumque, neq; diſpari admodum dignitate geſſêre Præpoſiti, vt ſtatim dicetur. Hæc vt ita ſe habeant, nefas tamen, antiquum pingendi Liberti morem vel dogmatis falſi, vel erroris alicuius, nedum periculoſi, de quo tantùm Synodus Trident. ab aliquo temerè argui; qui ab omni memoria in aras atque adyta receptus, à Metropolitano Collegio [in quo præter ſplendorem pietas, morum grauitas, rerum diuinarum legumque cognitio, ſumma denique omnia] & à celeberrimo Trudonenſi Aſceterio, ſuffragijs candidis & exemplis hodieque natis comprobatur. Itaque vt vſum Iconum, qui hiſtoriæ innititur, cum Molano alijſq; optimum donemus: huic certè allegoricus quidam, vt in Scripturæ ſenſibus dici ſolet, proximus haberi debet. Nam, vt ait D. Gregorius, *quod legentibus ſcriptura, hoc idiotis præſtat pictura cernentibus*: Et hoc ſenſu Hieron. Vida ſic D. Chriſtophoro cecinit; *lib. 9. c. 9. Regiſtri.*

Chriſtophore, infixum quòd eum vſq; in corde gereba,
Pictores Chriſtum dant tibi ferre humeris. *In hymn.*
Quem geſtans quoniam multa es perpeſſus amara,
Te pedibus faciunt ire per alta maris.

Omnia quod victor superesti dura, virentem
Dant manibus palmam, quâ regis altus iter.
Quod potis, ars tibi dat, nequeat cum fingere vera.

lib. 3. de Im gin. cap. 14.

Molanus quoque in armatura Georgij equestri, & puella defensa, & Dracone Libyco interfecto, allegoriam ex historia conjectatam recipit, docerique ait, omnibus Christiani nominis militibus enitendum esse, vt Ecclesiam inprimis, quæ & regina & virgo & sponsa est Agni, adversus Diabolum qui immanis est Draco, defendere allaborent. Quod quidem studium & cura cùm in Liberto egregio pugile multùm enituerit, proque militiæ huius sacramento, intrepidè vitam exponere non detrectarit: causæ satis esse videtur, cur equestri illâ & armatâ specie repræsentetur. Est tamen aliud præstantius, neque ex alicuius allegoriæ latebris eruendum, quod in plerisque viris genere illustribus factum observo; vt quamvis spretis seculi illecebris, monasticum vel Clericalis vitæ propositum fuerint amplexi, eo tamen dignitatis, quam priùs gesserant, habitu passim perpetuoque in adytis venerandi proponantur. Exempla sint S. Vincentius, quem Comitis Ducisque ornatu Hannones depingunt, quòd Haunoniæ Comes, quòd Hiberniæ, siue vt alij volunt, Iberiæ Prorex, atque inter Dagoberti Francorum Regis Palatinos primarius, cuius tamen Monastice in Alto-Monte ac Sonegijs nihil euidentius. Simili quoque Ducis effigie

Idem ad 5. Maij.

Maurontum Leuitam & Abbatem Duacenses exprimunt, quòd illustri genere Ducum progenitus, atque inter aulicos proceres aliquando præcipuus extitisset. Et ne per singula cogar discurrere; duobus contentus ero domesticis exemplis, quorum alterum mihi Liberti familia, Mechlinia alterum subministrat. Primum illud

Idem ad 1 Octob.

est S. Bauonis Principis, & Gandauensium Tutelaris, qui diù Regum Clotarij & Dagoberti gratiâ vsus, Gandæ demùm Clericorum Monasterium excitauit, in quo tonsus & à S. Amando Canonicis adscriptus Deoq; mancipatus, temporalem vitam cum æterna denique commutauit. De pictura verò eius hæc habet Molanus: Pingebatur olim cũ sceptro in manu dextrâ vnà cum stricto & exerto gladio, alterâ librum tenens. Idque vetustissimæ picturæ ante an. 400. & 500. declarant. Iam verò passim alterâ manu sceptrum tenet, alterâ gladium solo infixum; pileum autem gestat in capite & vestem oblongam more Principis. Harlemenses dant ei gladium & Falconem. Hactenus ille. Quâ postremâ specie Falco-

Digitized by Google

nem tenentis, hodie Gandaui insignis recensq; statua Basilicæ eius nomini inscriptæ primarijs foribus imposita visitur. Alterum exemplum quod Mechlinia præbet, est Lamberti Antistitis Leodiorum, & ab antiquo Mechlinienſis Oppidi tutelaris, quem equitis armati & gladium vibrantis, infulati tamen & palliati specie Malinates pingunt, siue vt ita nobilissimum eius genus prodant, siue quòd Vrbem suam eius meritis semel liberatam credant. Verùm de Liberti vitæ susceptæ forma, sanctitate, & opum abdicatione, quæ tanquam virtutum ceterarum iacta basis extitit, hactenus sit dictum. De honorum ipsius titulis, alijsque virtutibus dicere aggredior.

DISSERTATIO VIII.

Liberti Præpositura, & Præpositorum ac Decanorum olim munia & gradus: Adhæc Abbas quondam, Præpositus verò nuper Canonicorum Mechliniæ explicatus; Tandem de Presbyteratu Liberti Coniecturæ.

HOnor virtutis, vt vocant, vmbra, illius cultores invitos etiam & vitantes plerumque sequitur. Vera vox Senecæ: *Nulli non virtus & viuo & mortuo retulit gratiam, si modò illâ, bonâ secutus est fide, si se non exornauit & pinxit.* Et Poëta floridus: *Hanc tamen inuitâ blandè vestigat, & vltrò Ambit honor.* Et quidem quod mireris, quandoque hæc vmbra prædux, non tantùm à tergo comes est: hoc est, primis ipsis annis, cùm virtuti sese dicârint assecias, aut ab illa potiùs sagaci velut sacraria quædam & templa fuerint delecti; decus sæpe non vulgare obtigit. Talis adoratus ab astris manipulisque Ioseph. Talis Cyrus inter pastores, aut Honorius, non ad honores ille tantùm, sed virtutem natus, qui eodem anno, immò die, quo in lucem editus, Consularibus fascibus; neque diù pòst Cæsareis insulis decoratus fuit: quibus ingentium honorum præludijs theatrum quoddam & regnum, virtuti pijssimi Imperatoris pandebatur, quam Poëta nullo non encomij genere prosecutus, hisce versibus celebrauit:

Epist. 79.

Claud. de Cons. Theo

Herod. libr. 1.

Claud. de 4 Consul. Honorij.

Digitized by Google

In Cons. 3. *Ille sacro mentis ornat diademate crines,*
Tantaq; se rudibus pietas ostentat in annis,
Sic ætas animo cessit; quererentur omnes
Imperium tibi serò datum.

Per hæc itaque fic strato velut ad materiam itinere, minor te, vt reor, admiratio incesset; cùm Libertum adolescentiæ nondum egressum terminos, propter tamen dotes animi & virtutis magnitudinem, Præposituræ obeundũ munus suscepisse intelliges. Chronologum enim ne iterum agere compellar, tantùm memoriâ repete ex calculo superiùs posito consectarium esse, hunc, cùm annos vix ampliùs viginti ætatis ageret (immò duos huic numero detraxit Rev. adm. atque Ampliss. D. Ioan. à Wachtendonck) grauissimo Præfecturæ illius oneri, iubente Præsule ac Cleri moderatore Rumoldo, pares humeros subieciſſe. Neque verò fas est, temerè improbèque suspicari; id honoris non virtuti meritisque, sed natalium claritati atque ex affectu procliuiore tributum fuisse: cùm id neque in profanis imperijs cum multorum damno admittendum putauerint Veteres, quorum vocem expressit Claudianus his Theodosij ad Honorium filium:

Paneg in 4 Consul. Honorij. *Si tibi Parthorum solium fortuna dedisset,*
Sufficeret sublime genus; luxuq; fluentem
Deside, nobilitas posset te sola tueri:
Altera Romanæ longè Rectoribus aulæ
Conditio; virtute decet, non sanguine niti.

Verùm quid Ethnicis opus, quando sic diserté Patres Conc. Aquisgr. caussam pariter communicati Liberto regiminis (quòd is Canonicæ vitæ mos esset) palàm facientes? *Oportet*, inquiunt, *Ecclesia Prælati vt de Congregatione sibi commissa tales eligant boni testimonij fratres, in quos onera regiminis securè partiri possint. Nõ enim constituendi personaliter aut eo ordine, quo in Collegium Fratrum admissi sunt, sed secundum vitæ meritum & spiritalium donorum prærogatiuam; qui & in Congregatione assidui sint, & fratrum curam peruigili studio gerant: & sicut alios præcedunt magisterio, ita animi tui innocentis vita informent exemplo, vt iuxta Apostolum exemplo sint ceteris in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.* Quibus similia habet Monachorum Pater B. Benedictus in Reg. Non igitur insolens atque inusitatum apud antiquos, sacrarum dignitatum titulis etiam primarijs, Iuenes

Cap. 138.

Cap. 21.

Digitized by Google

Iuuenes ornari; si singularis prorsus virtus & rara quædam sanctitas in ijs emineret. Ita Timotheus, cuius adolescentiam Paulus contemni vetat; Hugone Cardinale teste, anno vitæ 23. iam ad Episcopatus apicem ab ipso Apostolo subuectus fuerat. De Mauro S. Benedicti discipulo, Ordinis annales referunt: B. Patrem cùm abesset, adolescenti suas vices credere solitum. Vt autem Nepotianum S. Hieronymi, & nostri æui S. Carolum, sexcentosq; præteream; habes etiam in infirmiori sexu, B. Gertrudem annos vix natam duos & viginti, Abbatissæ Niuellanæ munus obiuisse: quæ tamen similis illi, cuius in *annis infantia computabatur, sed erat senectus mentis immensa*; duobus quibus rexit & superauit lustris, omnes perfectæ Antistitæ numeros absoluit. Secuta est eodem in munere Gertrudem cognatam Wolfetrudis an. ætatis 30, præfecturæ vndecimo ad Superos euocata. Denique, ne laboris plus sumam; vim magnam illorum, qui ætate tenerâ admiranda gessêre, congessit tibi S. Ignatius Martyr epist. ad Magnes. *Daniel*, ait, *12. annorum, Spiritu sancto repletus est, & illos seniores canitiem vanam habentes, calumniatores & alienæ pulchritudinis appetitores esse manifestauit. Samuel etiam cum esset pusillus, nonagenarium Heli sacerdotem redarguit, quòd filios suos honorificaret supra Deum. Similiter & Hieremias audit à Domino: Noli dicere, quia puer ego sum. Salomon duodecimo ætatis anno regnare incipiens, meretricum pro paruulis quæstionem dissoluit. Iosias verò octo annorum, aras & monumenta subuertere cœpit, lucos exscindere, templa deijcere, quæ Dæmonibus fuerant consecrata.* Talis profectò horum *iustorum*, (Vt Gregorij de S. Benedicto vocem vsurpem) *spiritu plenus* Libertus, difficillimum prorsus munus & artem illam artium regendi, quam secum Præposituræ dignitas sarcinam voluebat, vix iuuenis gerendam suscepit. Itaque quò virtus & sanctimonia Liberti magis appareat: Dignitatem, quã ætate nondũ firmatâ & virili adijt, & cuius vix nulla in Ecclesijs Cathedr. (non sic in Asceterijs) vestigia nostris restãt temporibus, ob oculos breui in tabella pono; illius etymon, originem, munia, honores, attributa (quòd in hoc munere pars vitæ Liberti potior, & ampliùs 60. anni contriti fuerint; vt exactiùs nôsse, operæ sit pretium) calamo depingo.

1. ad Tim. 4.

Præpositi, inquit Barbosa in arena Grammatica Iuridicum agens, secundum nominis proprietatẽ dicuntur omnes aliorum Præfecti, vt

Cap. 9. de Canon. & Dignit.

vt *probat tex. in cap. Quamuis &c.* Idem post plura Præpositorum notata & recitata genera ait ad istorum exemplum, id nominis ad Præfectos sacros, qui quandam Prioratûs curam super alios obtinent, traductum fuisse: *vt probatur*, ait, *in dicto cap. Quamvis in princip. de verb. signif.* Caput, quod citat Barbosa non satis ex fide, in Synodo Aquisgr. num. 139. sic paulò aliter sancitum fuit. *Quamvis omnes qui præsunt, Præpositi ritè dicantur: ipsos tamen obtinuit eos vocare Præpositos, qui quandam Prioratûs curam sub aliis Prælatis gerunt.* Ex dicendis enim discrimen, visque vtriusque verbi *sub aliis* & *super alios*, mox clarũ euadet. Rectè igitur admodũ Pamelius advertit, Præpositi vocẽ à priscis illis Patribus pro Episcopo vsurpatam, & Cypriano Tertullianoque, vt Paulũ non addã, hãc significandi potestate multis in locis familiarem esse. Episcopi enim cùm secundum Canones in claustris cum Clero degerent; præter Diœcesis curam, regendi illius sollicitudinem gessisse luce ipsâ clarius est. Sed quia, vt alibi dictum est, propter officij sui negotia occupationesque creberrimas, sicut hisce temporibus, ita olim, frequenter ab Ecclesia Cleroque suo abesse cogebantur; & quia hic omnis, quantus erat, suo Episcopo, sicut Monachi Abbati, subiectus parebat: ideò in Cathedrali sede, ac pari caussâ vbicumque erat aliquod Canonicorum collegium; à Præsule præficiebatur aliquis omnium, qui Præpositi nomine, non vt *in Clero dominans, sed forma factus gregis*, ceteris ad omne sanctimoniæ & virtutis opus exemplo præiret. Ita ferè passim Molanus. Quã eius similitudinem ita tamen intellige, quòd Clerus proximè, quoad disciplinæ & vitæ modũ Antistiti suberat; cuius imperiũ Abbas in suos subditos imitatus, seuera Monachorum instituta, Episcopali penè & maximâ authoritate moderabatur; ijsdem solitus, quibus Præsules, honorum propè insignibus ornari: at horum & ipse tamen correctioni & tribunali subiectus. Simili loquendi modo vsus Ansegisus, in capitulis Caroli Magn. & Ludouici Pij, quorum tale est decretum: *Qui ad Clericatum accedunt, quod nos nominamus Canonicam vitam; volumus, vt illi Canonicè secundum suam regulam omnimodè viuant: & Episcopus eorum regat vitam, sicut Abbas Monachorum.* Cessit verò semper siue in Clero, siue in Ascæterijs, Abbatibus Præpositorum dignitas; & licet aliquando nomine, rarò tamen ac penè nunquam infulæ baculiuè prærogatiuâ gauisi: potestate tamẽ præcipuâ illos præstitisse & nomen iudicat, & quòd tam multa, inquit Molanus,

Cap. 139.

Ad epist. 4. Cypr.

Molan. lib 2. de Canon cap. 4.

lib 1. c. 73.

lib 2. de Canonici cap. 4.

Digitized by Google

legantur in corpore iuris Canonici, & in Eccleſiarum archiuis tum reſcripta, tum conſtitutiones; in quibus primo loco Præpoſitus perpetuò nominatur, deinde Decanus totumque Capitulum. Certè fuit inter Aſcetas hic olim gradus ita ab Abbate primus, vt Beato Benedicto teſte, talium Præpoſitorum quidam nullo ferè diſcrimine ſecundos ſe eſſe Abbates dicerent: ideòque cenſuerit Monachorum pater, pacis, charitatiſque cauſsâ magis expedire, ijs omiſſis per Decanos rerum commoda & diſciplinæ ſummam, prout Abbas imperaſſet, adminiſtrari. Quâ quidem occaſione primùm, Decanorum vox altiùs ad honores emerſiſſe videtur. Tandem perpetuum vtrimque Præpoſitorum, perinde vt Præſulum & Abbatum, magiſtratum fuiſſe; niſi fortè vel ob mores improbos, aliquodue inſigne deſignatũ facinus gradu ſuo deijciendus foret, indicant ſatis, quæ Aſcetarum magiſter in regula proximè ſubijcit. Eſt porrò Præpoſiti, ab Ebbone Rhemorum Antiſtite & Liberti æquali, doctè & graphicè deſcriptus officiorum velut catalogus Opuſc. de Miniſtris Eccleſiæ Rhemenſis, habeturq; ad calcẽ Frodoardi: Quod illuſtre antiquitatis monumentum religio mihi eſt cultioribus verbis recitare velle. Sic itaque ait: *Præpoſitum decet cura interior & exterior. Exterior in rebus & familia ſecundum Deum gubernandis ſumma cum intentione, & pietate, & benevolentia. Inſuper & de qualitate neceſſaria ædificiorum ſiue quantitate. Interior verò ſollicitudo eius eſſe debet, diſpenſatio fratrum publica, honeſtè diſpoſita in victu & potu, ſiue omni ſubſidio corporali. Cui non minor patet etiã alia diſpenſatio neceſſaria in infirmis, & ſenibus, pro diuerſitate vniuſcuiuſq; neceſſitatis. Sequitur autem hinc ſtudium, omnem ornatum corporalem ac ſpiritalem continens fratrum. Corporalem primùm in Clauſura, inde in Refectorio, & in Dormitorio, in cellario, in cequina, ſiue in cunctis habitationibus neceſſarijs, necnon in vaſculis omnibus. Spiritalem verò zelum talis miniſter veræ religionis habere debet, ſanctæ conuerſationis die ac nocte Canonicis partitis in horis. Correctionem morum curet; per grauitatem, leuitatis motum deprehendens, vaniloquium ſecretis in locis & horis ſuo rigore omninò depellens, omnes negligentias omnium publicè deprehenſas, in Capitulo omnium fratrum iudicio puniens, his tribus modis: id eſt, aut carcere, aut ſeparatione menſæ, ſiue in omnium verberum diuerſitate. Cuius etiam prudentiſſima circumſpectio Decanis ſibi ſuppoſitis*

Regula cap. 65.

vixit anno 800.

Digitized by Google

suppositis inuigilare debet, vt ne vnus quidem à maximo vsque ad minimum, absq; licentia vnius diei spatio, ab officij sui loco desit. Hactenus Ebo Archipræsul. Quibus sic assertis, nunc obuiam Wazoni eundum est, qui primùm Decanus, postea etiam Leodiorum Episcopus sub an. 1050. in epist. ad Ioannem Præpositum, præter omnium sententiam argumento obscuro, neque certo adstruere nititur, Decanum Præposito dignitate præisse. Ait enim Patres Canonicorum Regulæ conditores, cum officia foris domique ordine recenserent, Episcopum, Prælatum, Præpositum, Cantorem, Cellarium, Portarium, vsque ad Pistores & Coquos; Decani mentionem minimè fecisse: cuius tamen vices ac partes in disciplina Claustrali moderandâ præcipuæ essent. Ex quo Decanum, Prælati nomine ab ijsdem intelligi concludit. Et quia quæ sequuntur, Præpositi officium non parum illustrant; ex illis pluscula ista subijcio: *Vide*, inquit, *quid Regula præcipuè dedicet Præposito; videlicet, subditos illustrare Canonica conuersationis exemplo. Certè si nullus Claustralis Præpositus, nisi ex regulari Canonico debet ordinari; profectò non debes esse Præpositus, nisi Canonicam Claustri duxeris vitam. Distat enim inter Clericum & Canonicum; quòd Canonico, non Clerico, debetur Claustrum: Omnis enim Canonicus, Clericus; sed non conuertitur, vt omnis Clericus sit Canonicus. Ex Canonico autem; non ex Clerico, regulariter constituitur Præpositus: & ideò necesse est, si Præpositus es; in Choro in Refectorio, in Dormitorio, nisi per licentiam, sis assiduus.* Commonitoriam tamen & prolixam valde epistolam Wazo hoc tandem fine terminat: *Hoc ego, frater, non vt superiorem vel parem Præposito, cum regulariter possim, Decanum comparem: sed vt in claustralibus caussis ordinandis, præcipuum cum iustitia Consiliarium monstrem.* Ita ille, cui tamen nemo, vt arbitror, facilè concesserit, Decanum Prælati voce in Regula intelligendum esse. Quod verò Patres, Decani ne per vmbram quidem meminerint, caussam ex plerisque existimo: quod nondum Capituli siue Claustri ille caput, neque inter Ecclesiasticas dignitates id nominis censeretur. Vnde Barbosa c. 4. De Canonicis & dignitatib. Decanatum asserit de iure nullam habere iurisdictionem, cùm careat iure Prælaturæ in Capitulo, cuius ipse est pars. Citat *Abbatem in cap. Post electionem. Sub num. 9. circa fin.* Et Molanus astruit, initio Decani nomen in ea significandi vi incognitum fuisse; quando Collegia Canonicorum

Chapeauil in VVazone tom. 1. de Episc. Leodiens. Auctariũ Miræi ad reg. Canon cap. 19.

l. 2. de Canon cap. 6.

eorum ab Episcopo, aut ab eius Vicario recta; qui & Præpositus & Magister dicebatur. Verisimile est autem id nominis & officij, Canonicos ad se transtulisse ex moribus Monachorũ, inter quos illi erãt, qui denis essent præfecti, exemplo à Moyse ducto, qui ex consilio soceri Iethro Decanos primitus eiusmodi instituit. Decanos enim iam olim inter Canonicos fuisse Ebonis semel producta periodus satis significat: *Præpositi prudentissima circumspectio, Decanis sibi suppositis inuigilare debet.* Quod igitur, inquis, genus dignitatis Synodus atque regula Canonicorum vitæ moderatrix, Prælati vocabulo intelligi voluêre? Equidem caussis non leuibus adducor vt asseram, non tam peculiaris alicuius muneris proprium, quàm vagum atque commune multis nomen extitisse. Nam Præpositum, qui, vt habet cap. 134. quandam Prioratus curam sub alijs Prælatis gessit; etiam Prælati titulo à Patribus cap. 118. insignitum lego. Statuunt enim Præpositis cauendum esse, ne plures admittant Clericos, quàm facultates Ecclesiæ sinunt. *Hi namq;*, inquiunt, *taliter aggregati, dum à Prælatis stipendia necessaria non accipiunt; neque Canonicum seruant ordinem, nec diuinis officijs insistunt, claustra societatemq; ceterorũ relinquentes efficiuntur vagi. &c.* Moxq; Prælati vocẽ Præpositi nomine convertunt. Potuit igitur iuxta vim Etymi, Episcopo atque Præposito, maximè tamen Canonicorum nuncupato Abbati tribui: qualem cùm multis in locis, tum Mechliniæ primum quandoque locum in Canonicorum cœnobio occupasse, fidem faciunt ex Chronicis Leodiensium Molanus & Gramaius. Nihil enim synonimâ istâ appellatione hisce etiam temporibus tritius, vt domi Regulares, Prælati quoque magis, quàm Abbates audire gaudeant. Quare hoc loco de eo genere Abbatum nunc penè extincto, breuiter differendum fuerit: tum quòd proximè Liberti tempora, statimque post Normannorum clades, ea dignitas Mechliniæ instituta vel certè instaurata legatur; vt etiam Libertum quandoque tituli illius insignibus ornatum fuisse suspicionem ingeram: tum quòd posteà in Præpositos, de quibus nobis agere propositum, pridẽ cum potestate nomen abierit: hæc Patrum memoriâ in Archi-Præsulis dignitatem summam. De illis itaque Molanus: Sunt quædam Canonicorum Ecclesiæ, in quibus est Abbas secularis Præposito dignior. Hic etsi Abbatis nomen præferat, nullum habet Abbatialem habitum, nec mitram vel pedum: primus

Reg. B. Benedict. c. 21 Exod. 18.

lib. 2. de Canon cap 5. Gram. l. 3. sect. 4.

lib. 2. cap. 5 de Canon.

Digitized by Google

tamen ei dum adest, defertur locus; & dignitas propter collationes, quas pauci intelligunt fugiendas potiùs esse, quàm appetendas, multùm appetitur. Deinde vbi quorumdam è vulgo (sic enim alibi
fol. 110. vocat) sententiã refellit, qui ad memoriã institutionis primæuæ seruandã, quasi ante Canonicos illic Monasticus ordo sub Abbate regulari quandoq; viguisset, nomenclaturam retentam putant, addit: Abbatum nomen, quod Mechliniæ omninò extinctum est, apud alios quosdam Canonicos, in primis Namurcenses manet; non ex eo, quòd aliquando Monasticam vitam professi sunt, sed eò quòd Canonici etiam Abbates habere soleant, de quibus est elegans caput Parisiensis Concilij. Ex eâ constitutione hæc tibi pauca decerpsi:
Cap. 37. *Decet*, aiunt Patres, *immò necesse est, vt Abbates Canonicorum attendant, ad quid Abbates vocentur. Si patres spirituales sunt, & filios spirituales Domino gignunt, iuxta illud Apostoli: secundum Euangelium meum ego vos genui; meritò patres appellantur: si verò secùs, tanto nomine se indignos faciunt. Quapropter oportet, vt religiosè, castè, ac pudicè viuere satagant; venationibus, turpibusq; lucris, ceterisq; vanitatibus nullatenus inseruiant, quia in huiusmodi Prælatorum illicitis factis & magnum periculum generatur, & Religio Clericalis à multis vituperatur.* Addũt Episcopis prouidendum, *vt huiuscemodi Abbates dictis & exemplis, sibi subditis ad vitam æternam ducatum præbere contendant. Quòd si Episcopo suo obedire superbiendo renuerint, vt synodali iudicio aut corrigantur, aut certè Principali authoritate intercedente honore Prælationis priuentur.* In quibus & Abbatis etymon, & tributum bis ei Prælati nomen, vicarium quoque & subiectum Episcopo munus, illudque perpetuum, virtutes & sanctimonia, Religionis denique Clericalis appellatio paucis in lineis à Lectore industrio obseruantur. Postremò Clemens Reynerus S. T. D. & Duacenus Professor, atque ex hoc Miræus: Liquet, aiunt, tempore Ludouici Pij, Canonicos in Communi viuentes etiam sub Abbatibus & Præpositis, non fuisse regulares, pro vt nunc vsus habet vocabuli, sed seculares: quibus fuit licuit retinere, & quibus vellent dare. Vt numero parcam, talis Abbas apud Traiectum Rheni fuit, teste Hucbaldo, S. Gregorius. De altera Traiecti ad Mosam, S. Seruatij Abbatia seu Præpositura dicta agit Miræus Notit. Eccles. Belg. cap. 49. & in Chronico Belg. ad annum 919. Præterea Abbatias eiusmodi in
pag 2. Notar. ad reg. Canon.

Diœcesi

Diœceſi vel ditione Leodienſi, ex Anonymo ſcriptore Annalium Leodienſ. Molanus XII. dinumerat, quarũ vltimo loco recenſetur; *Sanctæ Mariæ, Sanctiq; Rumoldi Mechlinienſis.* *Cap. 43 de Richario.*

At quòd ille hiſtoricus refert, B. Richarium, (ſic Miræus alijque laudant) exemplo anteceſſorum Franconis & Stephani, eas Eccleſias à Nordmannis vaſtatas reſtituiſſe, Clericos addixiſſe, atque ex his vnum, cui Hoſpitalitatis iniunxiſſet curam, Abbatem nominaſſe: repugnant & hanc lauream Notgero, qui poſt 26. annos à Richarij morte Epiſcopatũ adijt, plerique; Agonothetæ deferendam cenſent. Gramaius diſertè: Leodienſis Hiſtoria in vita Notzeri Epiſcopi refert, qualiter is ex antiquioribus Diœceſis Leodinæ Eccleſijs, quæ per incurſiones Barbarorum multùm labefactatæ erant; 10. aut vt alij, 12. reſtituerit, in quibus Deiparæ Virgini dedicatis nouem Clericos conſtituit, & ſingulis Abbatem præficiens, qui hoſpitalitatem curaret, & eſſet è conſilio Epiſcopi. Hanc Abbatis ſecularis dignitatem poſteriores cum titulo & dignitate Præpoſiti confundunt. Alia ſubijcit, quæ diſſertat. 6. deſcripſimus. Eademq; habet Miræus plurimis locis alibi notatis. Denique & Ortelius, qui res Notgeri præclarè geſtas in Itinerarij ſui Belgici calce nuper euulgauit. Auctoritati horum Scriptorum planè ſuffragatur temporum ratio, nam cùm Richarius ex Stabulaus & Prumiæ rectore Leodiorum Antiſtes euaſerit ſub an. 920. conſtetque hoc æuo Nortmanorum Principem Ragenoldum, non Burgundiam tantùm, ſed & Belgicam grauibus damnis afflixiſſe, de quibus Miræus in Chron. an. 924. & ſequentibus, quæq; Notgerus, vt de ſe ſcribit, vidiſſe potuit: Adhæc, cùm per idem temporis atque ab 917. per 50. ampliùs annos noua Hungarorum tempeſtas, tranſito Rheno Germaniam, & Lotharingiam, in hacque potiſſimè Hasbaniam & Carbonariam, id eſt Hannoniam, cædibus incendijſque vaſtarit: incredibile videtur, tot tamque ſparſas cum dignitatibus Eccleſias reſtitui potuiſſe; neque metu imminentium, & ſuperioris ætatis memoriâ malorum, quorum vulnerum adhuc ſtillabant ſanguine non bene obductæ cicatrices, à conatibus eiuſmodi prohibitum fuiſſe Richarium. De Hungaris præter innumeros Sigebertus in Chron. Cameracenſes Faſti lib. 1. cap. 74. Et ex Fulquino Abbate Laubienſi Molanus iſta: Gens Hungarorum, mortuo Arnulpho Imp. totam Italiam, Germaniam & Galliam, vt fera tempeſtas vario *lib. 3. fol. 4*

vastationis genere depopulata est per annos circiter quinquaginta. Nam an. demum 955. vt Scafnaburgensis alijque docent, ab Imp. Othone I. in Baioaria sic fuêre contriti, vt nullus eorum vel rarus fugâ dilapsus euaserit. Vides, Lector, quàm Richarij temporibus parum conveniat, Ecclesias tam numerosas è cineribus Normanorum suscitatas esse; cùm alibi ab irruente Barbarorum manu fœdissimè vastarentur, breuique lues eadem Belgicas oras esset peruasura. Manet igitur vni Notgero laus integra, tam Abbatiæ Mechliniæ institutæ vel restitutæ, quàm Canonicatuum 12. Neque Richario quidquam de mustaceo isto vindiciæ concedunt. Addidi verò vel restitutæ, quòd à vero non abhorreat, Libertum ante omnes Abbatis titulo cohonestatum fuisse: præcipuè quòd Monasticè à paucis perfectis Clericis, præsertimq; Liberto exculta fuisse, negari non debeat; moscue haberet, teste Molano, vt Præfecti tales à Clericis Præpositi; à Clericis-Monachis Abbates dicerentur. Verùm apud me certius illud est, Libertum non sacris modò mysterijs, ordine quovis initiatum, verùm & in Sacerdotij gradu diuinis aris operatum fuisse, & quia Clericorum (vt apparet) cœtui benè præfuit, *duplici honore* iuxta Apostolum, *dignum Presbyterum* extitisse. In hancce sententiam nemo non pedibus abibit, qui quidē, quæ Canonicorum tunc temporis & ab origine sua partes; quæ deinde Præpositi illorum Ducis & capitis fuerint, maiori curâ perspexerit. De illis ita Molanus: Canonicæ Regulæ primaria fuit institutio, vt essent sub Episcopo Clerici, qui nunc Canonici dicuntur, sanctè secundum Canonem suum viuentes, & promptiad omne Ecclesiasticum ministerium, ad quod à Præposito suo ordinarentur. Idem alio loco: Cùm Episcopatus onus sit, vt quidam SS. Patres loquuntur, Angelorum humeris reformidandum, cui nullus Episcoporum quantumcumque sanctus & doctus, nisi multos passim per suam Diœcesim subsidiarios habeat, par sit: ad hoc inter cæteros peculariter Canonici dicti sunt *membra Episcopatus & Senatus Ecclesiæ*, quòd ipsi ex institutione sua sint Episcopi cooperatores, non tantùm qui in Episcopali Ecclesia residēt, sed & cæteri. Quæ etiam causa fuit, vt cùm primitus Canonici fere apud Episcopum habitare soleant, postea multiplicatis populis, collegia alijs quoque in locis sint constituta. Denique eodem cap. ad institutum ista proximè optimus vir Molanus subdit: Vt verò pleniùs

lib. 2. de Canon. cap. 9.

lib. 1. c. 27

lib. 2. c. 2.

Greg. 7. causa 1. quæst. 3.

niùs intelligatur, quòd Hieronymus dicit, *Ecclesiam habere Senatum Presbyterorum*, nó erat eo tempore distinctio ea in Presbyteris, quæ nunc est, in Canonicos, Sacellanos, Vicarios; sed omnes Canonicè viuebant, & quicumque erat Presbyter, is erat Senator & Consiliarius sui Episcopi. Dicit hoc Ignatius ad Trallianos scribens breuibus verbis. *Quid est Presbyterium, nisi institutio sancta Consiliarij & consessoris Episcopi?* Plura loca congerit ex eodem Ignatio epist. ad Magnesium, Hieronymo in cap. 1. epist. ad Tit. Chrysostomo hom. 11. in 1. Tim 3. vt Episcopis & Presbyteris in communeEcclesiæ regendæ curàm incumbere euidentiùs probet. Quidum ita, *Apis Matinæ more modoq; Grata carpentis thyma per laborem Plurimum* centonem penè confecit: Liberti Presbyterium nobis, Apellæis prorsùs Patrũ coloribus adumbrauit: maximè verò cùm priscos illos Nostratibus Præpositos committens, voçat illius æui Præposituram, officium, obedientiam, Magisterium & ministerium; quo qui fungebatur, in peruigili cura fratrum erat assiduus: Nunc autem, ait, quoad regimen Canonicorum & onus animarum Capituli, vnde primitus dicti sunt Præpositi, prorsus emortua est Ecclesiastica disciplina, præterquàm apud pauciss̃imos. Aduertis enim, Lector, quàm necesse fuerit Præpositos, Presbyteratûs Ordine, mysterijs Diuinis initiatos esse: tum vt Episcoporum assessores proximi & opitulatores in Diœcesi moderanda essent; Quod in nouella & surgenti Mechliniæ Ecclesia, Tungrensi & Camerac. Episcopis tam procul dissitis perneccssarium fuit: tum vt impositoanimarum regendarum onere rectè se liberarent. Pastores enim ceterorum fuisse vitæ sodalium clariss̃imè docet Synodus Aquisgr. cap. 117. quamquam posterioribus seculis, immò iam sub an. 1000. tota illa spiritalis potestas & sollicitudo in Decani nomen munusque transijt, qui nunc ab omnibus, Capituli caput agnoscitur, & curam animarum habet, cùm Canonicorum, tum inferioris suæ Ecclesiæ Cleri. Itaque ferrei sunt & æui peioris exempla, cùm post annum 1000. quandoque legis Præpositos Diaconi tantùm, vel Subdiaconi gradu humiles potiùs, quàm sublimes fuisse, Decanis pondus diei & æstum ferentibus. Talis ille ad S. Lamberti Præpositus Leodicensis, ad quẽ Wazo Decanus, postea Antistes monitoriam epistolã, quâ de superiùs, in hæc verba claudit. *Quia Diaconus es, dic vnde tibi cognomen Archi-Diaconi? Et Sacerdotium*

Hieron. in 3. c. Isaiæ. Conc. Trid. sess 24. c. 12 reform

Horat. lib. 4. od. 2.

lib. 2. c. 4.

Digitized by Google

etiam Præpositurâ & Archi-Diaconatu committitur pluris haberi, quia hoc non minùs quàm à sex Episcopis: illa possunt à singulis abindicari. Igitur me Prælatum & Presbyterum quamvis indignum, regulariter, quasi velis Diaconus honorare. Ista, inquam, demum, cùm disciplinæ vetustas moribus nouis fatiscens mox graui ruinâ funditus collapsa est: Leodici signatè sub Alberone II. & Radulpho Episcopis post an. 1100. Per hæc igitur [nam ad metam festinat oratio] præclaræ gubernationis officia Libertus sub Rumoldi auspicijs athleta primùm, mox Pædotribæ erga multos per plurimorum annorum spatia, & vsq; ad Martyrij lauream, munus egregiè præstitit: eandemque solo patrio operam impendit iam ab ætate pari, quâ Hieremias puer, infantiamque Deo pro excusatione caussatus; officium sibi cœlitus imperatum aggressus est, vt euelleret, destrueret atque dissiparet; ædificaret verò & plantaret. Censet enim Christophorus à Castro atque Ant. Fernandius Hieremiam, cùm vaticiuari cœpit, annum non ampliùs 14. aut 15. peregisse. Denique quæ culturâ prorsus Apostolicâ, à B. Rumoldo fuerant fidei instauratæ initia posita, dictis & exemplis sedulò rigauit; vt illud pietatis incrementum vberemque religionis, quæ cum insigni vrbis gloria vbique locorum hodie celebratur, prouentum quandoque Deus largiretur. *Qui autem plantat, & qui rigat,* teste Apostolo, *vnum sunt.* Par coloni vtriusque labor & munus, ideòque præmium simile. Quâ de mercede & sempiterna Martyrij vtriusque adorea vltimo loco dicere aggredior.

1. Cor. 3.

DISSERTATIO IX. ET VLTIMA.

Normannorum & Danorum, Borealium gentium in Gallias irruptio, & Liberti per eosdem apud Trudonis fanum Martyrium.

Tom 8 ad an. 775.

BAronius non ille Latinorum, sed historiæ sacræ Cæsar compendio Rumoldi cædem vitamq; velut Iliadem nuce, sic cõplexus fuit. *An. 775.* Martyrio coronatur apud Mechliniã S. Rumoldus Apostolicus vir, gente Hibernus, qui Romã petens & à Pontifice Apostolatus munere initiatus, Mechliniã venien-

Digitized by Google

veniens, illic Euangelium prædicauit, populumque illum ad Christum conuertit: cùmque Dei verbo & egregio virtutum exemplo atque miraculis, ex nouis palmitibus illam plantasset Ecclesiam, eandem fuso sanguine irrigauit. Baronio veteres & posterioris ævi Scriptores, Sigebertus, Agiologus Rub. Vall. Ioan. Domyns, Molanus, Miræus, memoriæ & indiculi omnes calculo temporis suffragantur, nemo refragatur. In eâdem porrò fidei ornandæ & propagandæ arena Libertus diù pulchrum strenuumq; agonem decertârat; nec iam supererat, nisi vt Martyrium quasi coronis quædam certamini adderetur, & brauio à summo illo brabeuta & præside Deo donaretur. Quod factũ omnes æquè asserunt, cũ Dani & Normanni Boreales populi, perfidiæ suæ & paganorum rituum vindices sæuissimi, per omnem Galliam, Germaniam, Britanniam clades omnium acerbissimas per centum ferè annos circumtulêre. Et quia hinc omnis de Liberti ætate atque Martyrio notitia pendet [quamvis meritò his Lipsianis queri possim] *Confusio hîc rerum & scriptorum, & addo nimbi & tempestas temporum, cùm Normanni has partes passim inuaderent &c.* Salebræ denique tantæ, vt illis implicata vix sese expediat oratio. Visum est ideò, cum Græco illo Troiani excidij scriptore, vastitatis Normannicæ principia, causas, tempus & modum altiùs & penè ab Helenæ ouo arcessere; vt tandem euolutis & solutis difficultatum aliquot nexibus, in quibus hallucinati magni nominis Viri, res obscura fiat liquidior, neque difficilis admodum de necati Liberti tempore, aut etiam anno & mense coniectatio.

Aquilonares populi, efferi, omniumqùe Barbarorum semper crudelissimi, Martem, quem belli Deum præsidem putauit Antiquitas, apud sè natum iactare sunt soliti, vt Dio testis, & Poëta Princeps. *Quem etiam asperrimo cultûs genere, morte captiuorũ semper placauere,* humano cruore illi litandum arbitrantes, à quo vicissim omnem belli industriam adeò perfectè didicerant, vt devictis Europę & Asię potentissimis Imperijs summam fortitudinis laudem reportassent. Itaque solenne illis atque perpetuum fuit, Barbaricis cladibus orbem diuexare, & insitam feritatem prędis acerbis, vastitate & hominum funeribus pascere: vt ita Gentilis sui Geticiq; Martis ęmulos se præberent; *Quem iuuat clamor, galeæq; leues.* *Acer & Mauri peditis cruentum Vultus in hostem* Hor. lib. 1. Od. 2.

Ac-

Iornandes.

Paul. Diaconus lib. 1 histori.

Accessit tamen subinde causſa, importabilis gentis multitudo, quæ ad nouas in Europa atque Asia quærendas sedes educi debuit. Credo etiam cæli solique asperitatem duces maximè bellicosos, vt exirent, non rarò incitasse. Quippe, vt scribit Solinus, *Damnata illa pars mundi, & à rerum natura in nubem æterna caliginis mersa, ipsisque prorsus Aquilonis conceptaculis vigentissima, sola terrarum non nouit vices temporũ, nec de cælo aliud accipit, quàm hyemem sempiternam.*

Cap. 20.

Vt igitur antiquissimas calamitates ab eis orbi illatas tranſeam, ab insigni nostrate illa an. 516. ordior, cuius meminit Turonensis hist. l. 3. & descripsit P. Scribanius Origin. Antwerp. capp. 4. & 6. vbi ita pluscula ad rem nostram apte: Vtilonem, inquit, Theodori magni Boiorum Ducis fratrem honorariâ Marchionatus Antwerp. præfecturâ Theodorico Francorum regi donatum volunt [ita ait, quòd alij à filio id factum malunt] adnitente cum primis Theodoberto Theodorici filio, qui Danorum regem Clochilaicum post ingentes abactas prædas, depopulataque hostiliter vicina Marchionatui loca, ad internecionem deleuit consilio manuque potissimùm Vtilonis, cui etiam sororem in vxorem Theodobertus dedit; è quo matrimonio Caroli M. magnum genus, in Hispaniæ Reges Austriacamque se diffundens domum. Ista Scribanius: ex quibus Liberti, ante Pipinos & Carolomannum Landensis patrem, Maiores, Boiorum siue Bauariæ Duces & Imperij Marchiones appellatos: tum prosapiam illorum per Theodoberti sororem iam pridem ante Pipini Breuis sceptra Francica omninò regiam: tandemque & genealogiâ à principio propè in finem, id est, à Bauaris ad Austrios deductam habes; simulque vtramque hanc familiam inter cetera lumina sanctitatis, quibus præ reliquis in Ecclesia Dei fulgent, Libertum hunc nostrum referre posse & debere intelligis. Quæ ferò mihi lecta & aduersa, in hunc locum reiecisse volui. Præterea cognoscis ex his causſas, immo necessitatem, cur Pipini in inferiori Austrasia ipsaq; Belgica, diù & vsq; ad regnum Franciæ occupatum sedes fixerint. Leuis enim causſa, quam plerique tradidêre; quòd soli huiusce genio plurimùm ducerentur. Neque grauior illa Bucherij, quòd regni Francorũ in Gallijs primordia, circa Tungrense territorium olim constituta fuerant. Iusta autem, quòd ex hoc tractu primam quasi ab Vtilone duxerint originem; tum illa permagni ponderis fuit, quam alicubi designauit Molanus, vt Francici

Diss. Tung sap. 5.

In natal. ad 21. Feb.

Imperij

Digitized by Google

Imperij limitem contra Barbaros, maximèquè Danos & Boreales piratas perpetuò imminentes defenderent; quod etiam præclarè ab eis præstitum fuisse commemorat: dum Pipinum I. contra Sclauos Gallijs vnicum ait fuisse propugnaculum, itemque secundum, id est, Herstallum rege Prisonum Ratbodo subiugato. At verò simulatque Imperij culmen tenuit Pipinus III. & ditionibus regendis amplissimis, bellisque in Italia, & in Hispanijs gerendis distentus, Germaniâ vtraque abesse cogitur: primi Saxones, vt Helmoldus testis, opportunitatem ex eius absentiâ nacti, iugum Francicum excussêre, contra quos promptè ille quidem bellum suscepit & imbuit, quod maiori deinde Carolus filius felicitate peregit. Hic enim ab an. 771. tertiò in Saxoniam celeri itinere pergens & velut tempestas præceps, vt Rhegino loquitur, omnia prosternens, Saxones subegit iterum & CHRISTI castris adiecit: verùm Windichindus Dux eorum à Carolo sibi malè metuens, ad Normannos Cimbricæ Chersonesi gentem profugus se recepit an. vt Rhegino & Sigebertus 777. quos sequi placet: vt Chronica Laurissæ 782. Atque hic primam apud Scriptores melioris notæ de Normannorum nomine mentionem factam reperio. Simulque ecce tibi, Lector, tanti illius incendij, quo Galliæ omnes tantùm non arserunt, scintilla prima: hæ, inquam, tam enormium calamitatum, quas Dani grassantes mox per Europam circumtulerunt, caussæ & primordia. Windekindo enim ærumnas suas deplorante & à conterminis suis opem flagitante, cùm semel illi in manus arma sumpsissent, quibus suppetias ferrent, tum aras focosque, quibus Carolus imminebat, tutarentur; amicis semel subactis, in talia aliàs indole vsuque procliues, ad lacerandi imperij & sedium nouarum studium vires conuerterunt. Caussam insuper adfert Helmoldus cognomento Presbyter, vt Ethnicam impietatem suam, quam in Saxonibus Slauisque proximis proculcari videbant, asserent vel vlciscerentur; *ideoq;*, inquit, *tantum per Saxoniam, Lotharigiam & Franciam in templa & Christianos sæuierunt.* Quæ caussa ad Liberti Martyrium non parum facit. De sedium quoque studio res est euidens, adeò quidē vt Nauclerus, Baptista Mantuanus, Libertus Episc. Berithensis & Wernerus scribant, Ogerum Danorum Ducem, de quo tot extant linguis varijs fabellæ. Caroli M. temporibus Indiam, Æthiopiamque armis sibi peperisse, & Ioannem

Chron. Sclauor. c. 3.

Eginartus in vit. Car. M. Rhegin.

Vide Hamcon. in suo Frisia.

In fasciculo temporum.

Adgilli II. Regis Frisonum filium, Presbyterum ex insigni pietate appellatum, Imperio, quod vsque ad Nili fontes tendebatur, præfecisse. Cui narrationi Genebrardus non audet refragari. Taceo, quod Polydorus l. 4. de rebus Anglic., magnã Britanniæ partem à Danis an. 784. occupatam. Neque addo de Neustriæ parte illa maxima à Carolo Caluo Imp. Normannis concessa, quam de suo nomine Normanniam appellauere: aut de sedibus in Campania Italiæ, ab Henrico S. ijsdem sub an. 1022. permissis, de quibus Leo Ostiensis & Herm. Contractus scribunt: Neque alia id genus exequor, iuisse in Siciliam, Græciam & Byzantiũ ipsum. Magis cum Lipsio non Philologo illo tantùm, sed verè Philosopho Christiano lubet altiùs exclamare: *Bone Deus, quod flagellum, imò quam procellam iræ tuæ in Europam immisisti! Et Gothi, Hunni, Vandali modestiæ laudem habeant, (si quis comparat) præ istorum rapinâ, cæde, flammâ. Horror me tenet, fateor, recolentem. Prima origo à Saxonibus &c. Mox Normanni in vicem locumq; veniunt, & ab anno Christiano 800. per annos aliquot, imò secula auditum hoc nomen & formidatum. Caroli Magni imperio primùm innotuêre, & Galliæ ac Germaniæ limitẽ invaserunt. Sed primò limitem: mox per fluuiorum ora se insinuantes, ipsa penetralia petiuerunt florentissimarum regionum.* Iustæ verò iræ Numinis caussas persequitur Helmoldus, refertq; in dissidia domûs Regiæ; & Ludouici Imp. in propinquos, filiorũ iterum in illũ mutua scelera: tum Lotharij libidines, Car. Calui in Ecclesiæ bona violentas manus, denique Imp. Crassi inertiam effecisse, vt repetitis toties cladibus Europa perderetur, post alios multis scribit Baronius. Scilicet: *Tanto conspectius in se crimen, quanto maior, qui peccat, habetur.* Post initia & caussas, gentem ipsam tibi diligentiùs descriptum eo. Plerique ex vocis etymo Aquilonares omnes populos Normannorum nomine comprehendunt. Angustiùs Annales Pithœi magnæ illi auctoritatis apud omnes, ad an. 798. non Danos modò & Suecos, sed & Sclauos & Transalbianos Saxones, Nordmannos vocant. Tandẽ pressissimè & haud dubiè meliùs [vt notat Coluenerius ad caput 42. Balderici Chronologi] Eginartus apud Carolum M. Cancellarij officio functus, & vitæ eiusdem sciens & fidus scriptor, in qua sub finem hæc habet: *Sinus quidam ab Oceano Orientem versus porrigitur, longitudinis quidem incompertæ, latitudinis verò, quæ nusquam centum millia passuum excedat, cùm in multis locis contractior inueniatur. Hunc multæ circumsedent nationes, Dani siquidem*

Chronol. l. 3 ad an. 779.

Cap. 7

Adan 850 862.

Iuuen. sat. 8.

& Sueones, quos Nordmannos vocamus, & Septentrionale littus & omnes in eo insulas tenent. At littus Australe Sclaui, & Aisti, & alia diuersa incolunt gentes. Quos Rex vnâ tantùm expeditione contudit atq; domuit. Non certè de Normannis idem aliquando dixit; sed iterum post pauca: *Vltimum*, inquit, *à Carolo contra Nordmannos, qui Dani vocantur, primò piraticam exercentes, deinde maiori classe littora Galliæ & Germaniæ vastantes bellum susceptum est. Et quia illis vtrumq; littus assiduâ infestatione vexabant, per omnes portus & ostia fluminum, quà naues recipi posse videbantur, stationibus & excubijs dispositis, tali munitione prohibuit. Ac per hoc nullo graui damno Galliæ atq; Germaniæ à Nordmannis diebus eius affecta est: præter quòd in Frisia quadam insula Germanico littori contigua depradata sunt.* Hæc Eginardus, quem libenter aduoco & sequor testem oculatũ, cognomento Sapientis à Veteribus honoratum, tandem qui post primarias dignitates obitas B. Benedicti Monachus & Abbas fuit. Interea Carolus Imp. tot rebus gestis & victorijs Magnus, an. 814. Aquisgrani diem claudit extremum maximo prorsus reipubl. Christianæ damno. Nam teste Annonio, *totos 26. annos, quibus Ludouicus Pius Caroli Filius Imperij summâ potitus est: Dani, Nortmanni, Bulgari, Saraceni immensis calamitatibus orbem deuexarunt.* Primam funestissimæ tragœdiæ scenam aperuêre piraticæ naues XIII. quæ *Anno* 820. vt Annales Pithœani docent, Flandriensem oram afflixêre, *& per incuriam custodum casis aliquot vicibus incensis, pausisq; abactis gregibus*, tractus Armoricos & exonerantis in mare Sequanæ ostium, tandemque Aquitaniam populando percurrêre. Neque aliud cladium lego vsque ad an. 830. Danorum primoribus acerrimè, perque 20. propè annorum spatium, de regno inter se depugnantibus. Verùm sub annum 835. decumani fluctus à mari piratis hisce infesto, Belgicæ nostræ ingruere cum damnis atrocioribus cœpêre. Nam Annales illi à Pithœo editi exertè tradunt, hoc ipso anno Antwerpiam & vicina loca Nordmannorum incursione, cædibus, incendijs fœdata. Sigebertus idem, sed vt solet, Metachronismo biennij peccans. Eius sunt verba: *Normanni an. 837. Galliæ grauiter insebant, Dorestadum* (Tacito Batauodurum, hodie Wyck te Duerstede) *vastant, Antuerpiam oppidum & Vltraiectum* (Harenis, nunc Geer-Vltham) *emporium situm in ostio Mosæ incendunt, à Frisonibus & Hollandis*

l. 5. c 19.

Hollandis tributum accipiunt. Et gradu facto ad annum proximum, *VValachram*, inquit, *insulam Zelandiæ vastant & tributum exigunt*. Sigeberto Trithemius, Molanus alijque inhærent: Plures, in quibus Haræus & Miræus, Annales sequuntur. Addit Haræus ex historia S. Gummari per Theobaldum scripta, anno 35. tribuens ad rem & institutum ista aptissimè: *Accidit quandoq;, vt* propter multas hominum iniquitates, Nortmannorum gens ferocissima in eam regionem adveniret, omnia circumquaque popopularetur, Antuerpiam inflammaret & vbique luctu compleret omnia. Porrò per fluuium Scildam ad villam Turninum peruenerunt. Irruit Barbara gens, & ædificia omnia atque ipsum Monasterium incendit, homines partim trucidauit, partim captiuos abduxit, nihil præter humum relinquens. Inde progressi illi apud Mechliniam S. Rumoldi Ecclesiam exusserunt, villam & incolas gladio & igni perdiderunt. Vbi verò ad S. Gommari Ecclesiam ventum est, ignis iniectus, repulsus & extinctus est diuinitus. Sed eâ re magis inflammatus est furor hostilis. Itaque in templum irruunt, Fredegerum Presbyterum sacrificium offerentem ad aram perimunt. Sed non dormitat vltio præpotentis Dei. Cùm enim prædam omnem ad nauim apportarent, duo Duces eorum Reolfus & Reginarius Diuinitus percussi sunt: ille ventrem purgans viscera omnia effudit, hic & oculis captus & dirâ morte extinctus est. Ex quibus paria recitat Molanus in S. Gummaro: *Ad Collegiatam Lira Ecclesiam, quæ in historia Monasterium nominatur, venerunt Nordmanni euersâ Malinâ siue Machliniâ, & in ea Fredegerum Presbyterum crudeliter in Altari peremerunt, summæ maiestati sacrificium mactantem*. Durauit grauior hæc tempestas 20. annis, vt disertè ad an. 854. veteres illi Francorum Annales his verbis tradunt: *Nortmanni, qui annis 20. regni Francorum fines nauigijs accessibiles, cædibus, incendijs ac rapinis crudeliter vastauerant, in patriam reuertuntur*. Sequuntur alij, potissimè Miræus & Lipsius, ex quo quia nihil elegãtiùs, aut fide maiori moliri restat (ita post diligens studium sentio) cetera describo: Primò, inquit, limitem: mox per fluuiorum ora se insinuantes, ipsa penetralia petiuerunt florentissimarum regionum. Quod maximè accidit *Caroli Calui* imperio circa an. 846. cùm Godefridus eorum rex in Frisiam appulit classe 200. nauium: prœlijs aliquot incolas & accolas vicit: ac denique vectigalis nomine 200. *argenti*

Trith. in Chr. Hirs. aug. Mol. anaceph. e 23. In Chr. Ad an. 835.

In Nat. 11. Oct. Infast. ibid.

In Chron. Leu. l. 1 c. 3

libras

libras accipiunt, & in annos paciſcuntur. Friſiam autem latè illa ætas, & Hollandiam ipſam [obſeruaui] includit. Nam & *Rineburga* & *Fladertinga* Friſiæ (ſiue vt ipſi, *Freſia*) vrbes memorantur. Atque *hæc vaſtatio viginti annos tenuit*: cùm domum reuerſi, ciuili factione & bellis diſtinentur: non tamen in longum: iterumque Galliam repetunt, & florentiſſima Galliarum attrita: illinc in Germaniam auſi, à *Ludouico* 2. Imp. repulſi ſunt, ſed non cæſi aut fracti. Nam ecce iterum mox in Galliam, & *duo ſimul reges* (verba Rheginonis dabo) *Godefridus & Sigefridus cum inæſtimabili multitudine peditum & equitum aduenêre*. Peruagati deinde ſunt (è Sigeberto aſſumo) Franciam & Lotharingiam, Ambianum, Atrebates, Corbeiam, Camaracum, Taruennam, fines Morinorum, Menapiorum, Brachatenſium; omnemque circa Scaldim Fl. terram. Inde Walam Fl. ingreſſi totam Batauiam, palatium etiam Neomagi, ingentis magnitudinis miriſque operis incendunt. Heu cladem! & vis metuit metire animo maximas & pulcherrimas regiones. Breui ſermone hæc dicentur, & tranſeuntur: ſed attenta miſerationem habent & ſtuporem. Neque etiam finis. *Per Moſam aſcendunt, & Leodicum, Traiectum, Tungros, Coloniam Agrippinam, Bonnam cum adiacentibus caſtellis comburunt. Aquis in palatio equos ſtabulantur & palatium incendunt: præterea monaſterium Stabulaus, Malmundarium, Indam, Prumium.* Et modicâ quiete ſumptâ, anno ſequenti Moſellâ flumine ſubuecti *Treuerim incendunt, & Metim vſq; perueniunt, ibiq; prælio vincunt, & Epiſcopum occidant.* Ita malorum Iliadem ex Sigeb. & Rheginone capp. 4. & 5. compendio eſt Lipſius complexus, qui & ſuam tragœdiæ cataſtrophen dabit. Cum 70. ferè annis per florentiſſima Europæ membra, & ipſa, vt ſic dicam, vitalia graſſati fuiſſent: Arnulfus Baioariæ regis filius à proceribus, exuto Car. Craſſo, Imp. ſalutatus, peſtem illam tandem amolitus, & iuxta Louanium ad Tilã fl. ſic ſemel extinxit, vt vix pauci lares genitales reuiſerint. Vnde & dies ille feſti publici Kal. Septembrib. quem Supplicatione annuâ, ludis continuis, lætitiâque bene grati poſteri celebramus, originem habet: & monumentum eſt feliciſſimæ illius pugnæ, in qua Barbarorum centum millia perijſſe Helmoldus refert. Parta ea victoria anno, vt Rhegino cum pleriſque, 892: vt Sigebertus, 895. Domino vindicante, ſunt hæc Molæ, ſanguinem ſeruorum ſuorum, qui

Ex Sigeb. & Rhegin. capp. 4. & 5.

Digitized by Google

iam per annos 70. effusus fuerat, quoſque inter, ceterorum celeberrimus & pars magna prorſus Libertus noſter extitit. Itaque ſic vaſtitate Normannica ad exitum exitiumque ſuum protracta, veſtigandum reſtat, quando potiſſimè in hoc 70. annorum ſpatio, ab 820. videlicet ad 890. ducto, quo Belgicæ flagello Dei vindice attritæ clades, plerique omnes comprehendunt, Liberti cædes accidiſſe putanda eſt. Variant enim ſententiæ, & alij principio, alij vltimis annis adſcripſêre. Tam implicati ſunt certè in hoc genere, difficultatum nexus; vt cæde Liberti compendio narratâ inque rerum Syrtibus laborans, audaciùs ſit locutus Gramaius:

l. 2. Mechl. fol. 2. In huius, ait, temporis hiſtoria nonnihil me torquet neglectior temporum ratio; nec me expedio, niſi aut ſacræ, aut populari & antiquæ fidem negauerim hiſtoriæ. Ita ſatius mihi viſum, rem indeciſam ob oculos ponere. Hoc ipſi licuerit, cui in Mechlinia deſcribenda, res Liberti geſtæ fuêre parergon opus: non item cui illæ, argumentū ſolidum & ſcopus. Cautiùs proinde deplango, cùm merſæ ſint circa id rei tenebræ, deeſſe Scriptores ad firmandum vel dirigendum; pauci enim & ſparſim, vt alibi queror, obiterque in alijs hiſtorijs tangunt. Ita vt neceſſitatis magis, quàm voluntatis meæ vel conſilij fuerit, quòd totam propè Normannicæ populationis faciem expreſſi, vt ex his alijſque, quæ ſubijcio, quid certum in hâc hiſtoria, quid probabile mecum arbitreris. Si quæ enim ab oculatis, vel auritis vicinæ ætatis teſtibus litteris commiſſa fuerant; eandem illa ſortem ſubiêre, quam vetera pleraque monumenta, quorum penè nulla, Normannorū, mox Hungarorum faces effugerunt. Quā de re videre pōtes Molan. in Natal. ad 30 Iul. 14. Sept. Cal. Oct. Mirę. paſſim, Bucherium diſp. Tungr. c. 3. in fin. Et ne lamentantis præficæ recentem hanc neniam credas; noris Ebonem, de quo alias, Rhemorum Præſulem, & Normannorum per ætatem vnam an. 822. in tradendis Chriſtianis ſacris & molliendis pietate animis Apoſtolum, paria de alijs Barbaris fuiſſe conqueſtū. *Donatiani*, inquit, *ſanctiq; Remigij ac innumerabilium Sanctorum vitæ ſcripta Vandalorum vaſtatione ſcias eſſe deleta.* Quibus hactenus ſtudij noſtri non commendandi, ſed excuſandi gratiā dictis, rem propius tractare aggrediōr.

Vide Mira. in Chron. Belg. ad an 841.

Theodoricus Vitæ Rumoldi ſcriptor, in prodendis circumſtantijs parcus & obſcurus, diuerſæ valde de cæſi Liberti tēpore opinionis anſam

Digitized by Google

ansam diuersis præbuit. Alij enim, quia cap. 3. omnia simul Liberti anticipando complexus est; ante ipsum Rumoldum, necatum credidêre. Quos pluribus non refello, ignaros, vt videtur totius historiæ & istius Lipsiani: *Ab anno Christiano octingentesimo audiram primùm Normannorum nomen & formidatum.* Alij [& certè plerique in hac parte præter paucissimos] Anno 883. Sanctum Libertum Martyrio affectum magnâ consensione tradiderunt, hoc, vt euidens est, fundamento nixi, quod cùm cap. 3. Theodoricus scripsisset, Hominem Dei (sic Martyrem vocat) *occasione euadendi periculi in Hasbaniam progressum, illic à Barbara Dacorum gente, propriæ cruoris laureâ fuisse coronatum*: mox cap. 5. dicat, *Carolo à Ioanne Pontif. Summo, in Imperatorem consecrato Nortmannos adiunctis sibi Danis Franciam & Lotharingiam peragatos, fines præcipuè Morinorum, Menapiorum & Brachbatensium, omnemq; circa Scaldim terram ferro & igni deuastâsse; daniq; hoc belli incendio per decem & octo annos orbem latè exarsisse.* At Ioannes eo nomine VIII. ab anno 872. vsq; ad an. 882. sedit. Sub quæ tempora Libertum trucidatũ, consectarium est ipsis affirmare. Annum porrò 883. manifestè designârunt non tantùm Annales M. S. Trudonenſ. sed etiã magno numero scriptores, Brustemius, Latomus, Petrus à Gingelim, Trudo de Busco, Moringus. Advocat annales Miræus, nec refellit. Molanus fauet, & consentire nõ malè dixeris. Deniq; hæc Trudonensium est constanti traditione firmata opinio. *Pius labor, sed periculosa præsumptio, iudicare de cæteris, ipsum ab omnibus iudicandum: senis mutare linguam, & canescentem iam mundum ad initia retrahere parunlorum. Quis enim doctus pariter vel indoctus, cùm in manus volumen assumpserit, & à salina quam semel imbibit, viderit discrepare quod lectitat, nõ statim erumpat in vocem? Tanta est enim vetustatis consuetudo, vt etiam confessa plerisq; vitia placeant.* Verùm hæc veritus & expertus sit magnus Doctor ab inuidorum turba, quibus quasi noctuis inimica veritatis lux est: non idem ab Aquilis internæ & æternæ lucis fixis contemplatoribus periculum. RR. Ascetas Trudonenses intelligo, qui Tertullianũ, imò Paulinum illud nõrunt, nullam maiorem veritati iniuriã accidere posse, quàm si pedicis velut constricta, ne prodeat, in latebris captiua teneatur. Quibusq; contrà gratissimum, si quid melius aut inueniant ipsi, aut ab alio offeratur. Itaque Mechliniam video amicæ Trudonopoli, à qua Solis

S. Hieron. præf. in Euangel.

Præf. in Iob

illa

illa sui claritatem, id est, rerum S. Rumoldi notitiam accepit; in hac caligine ac nocte temporum, Cynosuræ velut vel exigui luminis beneficium rependere; & verius aliquid de cædis communis Liberti æuo annisque proferre. Neq; enim ego hinc vllam mihi laudem ambio; sed ijs reliuquo, quorum ea fuit cura & industria vestigandæ veritatis, imò modestia, vt labores suos, quàm nomina posteritati tradere maluerint: quo in genere memorias populares, indiculosque manus. complures legi, in quibus Liberti trucidatio ad annum 830. vel paullò post referatur. Horum deinde fidem cum historia contulit Reu. adm. & Ampliss. D. Ioannes à Wachtendonck, Decan. Metrop. & Senator Reg. & probabilem his verbis censuit: *Anno 832. vel circiter, Nordmanni & Dani Gallias grauiter infestarunt, Andouerpam & Mechliniam, ac alia loca incenderunt &c. Probabile est, eo tempore S. Libertum cum socio suo Gosuino, vel vt alij, Gosberto, Mechliniâ profugum, in Harbaniam siue Sarcinium deflexisse, & ante Altare S. Trudonis (vbi flexis genibus Dominum deprecabatur) ab his Nordmannis occisum esse, ætatis suæ anno circiter 79. A tempore quippe Martyrij S. Rumoldi ante prædictos annos non fuêre Nordmanni aut Dani in Belgio.* Deniq́ue Haræus Theodorici [quem grauem Scriptorem vocat] velut interpretem agens, cladem euersæ Mechliniæ an. 835. tribuit, quæ verò cap. 5. Theodoricus recitat, ad Ioannis VIII. Pontif. tempora, annumque Christianum 880. meritò reducit. 18. autem illos annos, de quibus eod. cap loquitur, explico de mora, quâ lues illa Belgicæ grauiùs, inq́ue ipsis visceribus incubuit, & quorum vndecim Louanij ad Tiliam [ita Molanus & Lipsius eius vrbis ciues ex archiuis & Reginone produnt] ligno & terræ congerie muniti hæserunt: reliquis Germaniam, Franciam & Flandriam perpetuis excursionibus diuexârunt. Postremò mihi admodum verisimile, Theodoricum non magìs de tempore necati Liberti, quàm de Sacri Corporis in Trudonis fano præsentia certum fuisse, cuius verba superiùs citata iterum advoco: *Libertum persecutam & captum effera gens ante ipsam Sancti Trudonis aram fecerunt Deo victimam. Corpus eius, vt aiunt, (veri enim periculum ad me non recipio) illic sepultum: de loco autem sepulchri non ambigua sententia est.* Molanus autem & ceteri omnes, Liberti & Fredegeri Lirensis cædes proximè post Mechliniæ vastitatem ponunt: vt legis in Natal. ad 14. Iul. & 12. Octobr.

cap. 30 vit S. Rumold.

Rumoldi

Rumoldi iterum necem an. 775. cum reliquis adscribit. Ita vt de eo fateri cogar, quod quia optimis quibusque nescijs obrepit, in prouerbium abijt: *Quandoque bonus dormitat Homerus.* Igitur vt Malinatum [sic enim voco] sententiam tanquam veriorem sequar: quamvis Diploma illud Pipini celebre præterea, quo Adoni Mechliniam an. 753. iure feudalitio possidendam tradidit; illud cogit, quòd aliter assensi, Liberto annos propè Nestoreos, neque vnius æui dare compellimur. Cùm enim nemine aduersario, conspirent omnes Rumoldum an. 775. Martyrij palmam consecutum; tradatque Theodoricus iam tum sub Magistri auspicijs gregi vniuerso cũ potestate Libertum præfuisse, quod in immaturam prorsus & annis 20. minorem vix ætatem conuenit: fatendum erit, cùm cæsus est, annos vitæ ferè centum & triginta emensum fuisse. Quod quidem prudens timidè vixq; suffragio candido cõprobabit. Absit enim, vt ad ineptias illas & mentis hallucinationes quibuscumque in celebris nobis perfugium sit, in quas aliquos præcipites iuisse video: qui vt difficultates, & Gordios nodos vix soluendos semel inciderent; nonnullis 300 & plures annos magnâ profusione temporis, sed veritatis iacturâ largiti sunt. Ita Placentius, aliíq; paris fidei, non minùs centum & 76. an. Sedi Tungrensi præfuisse Seruatium, vixisse trecentos & 73. belli homines prodidere. Sed nulla nos necessitas ad aniles fabulas & figmenta tam ridicula compellit, alias etiam istud improbæ Historiæ genus auersantes, & quibus illud Lipsij placet: *Vbi vera & seria desunt, silere, aut opinari.* Certè post decumanã illam Germaniæ secundæ tempestatem Liberti Martyrium produci vix potest, quâ Sigebertus narrat an. 837. & 38. veriúsque Annales Pithæani, Rhegino, Miræus, Hæreus, an. 35. & 36. tributa à Frisonibus & Hollandis per Nortmannos accepta, Doreſtadũ, Andouerpam oppidum, Mechliniam & Witlam emporium ferro flammisque permissa; Walachriam, Insulæ Comite alijsq; permultis limite inrupto cæsis, cladibus violatam: Gallias denique [quâ phrasi vtitur Sigebertus] grauiter & dirè infestatas. Adhæc eodem anno 36. reuersos in patriam dicunt ijdem Annales, vt sæpius irruerent; inque reditu Doreſtadum iterum excisum. At quò itinere redijsse putandi, an quà per oram maritimam & iam vacuos prædâ Oceani limites proruperant; an potiùs per fertiles maximè agros Grudium, Hasbanum, alioſque ad

Recapit. 55 Belgic. 21 & 23.

In hist. Episc. Leod.

Rhenum vsque & Agrippinensem Coloniam, prouinciarum optimus populati Batauodurum repetiêre? Quamvis tamen per alueos dissitos Rheni, Mosæ & Scaldis erupisse, & prædonum more palabundos obuia vastasse mihi fiat probabile. Tales enim propriè fuisse, & piraticâ nauigijsque expeditis ab initio latrocinatos docent; donec, vt Appianus de Cilicibus piratis, *gessêre se pro tyrannis, & regibus & exercitibus se conferentes inexpugnabiles putauerunt.* Itaque his de annis 835. & 36. explicanda mihil addubito, quæ Eccleſia Metropolit. Mechlin. in officijs propr. SS. Rumoldi & Liberti ijsdem verbis repetit: *Hic Libertus Scythis & Danis ab ora maritima vsq; ad Agrippinensem Coloniam bello omnia vastantibus, in Hasbaniam, vt periculo se eriperet, profugienti ante ipsam D. Trudonis aram, vbi flexis genibus Dominum deprecabatur, occisus martyrij palmam adeptus est.* Quæ vt singula notulis illustrem: nôris Scythas appellatos, tum ab vlteriori illa, & ad Orientem Mæoticasque vtrimque paludes latissimè porrecta; tum ab Inferiori Scythia, quam Cimbricam Chersonesum dixêre, quæque sparsos ad aquilonem populos à Frisiæ, Saxonumque finibus comprehendit. Quod autem Miræus Hunnos appellauit, quorum propriæ in vltima illa Scythia sedes; id non dubito dixit ex Bucherij sententia, qui obseruat, Hunnos vtpote truculentissimos, & vulgo maximè cognitos ac formidabiles, pro cætera barbarie in Gallias sæpe irrumpente nominari; vt cùm pro genere species, aut pro obscuriori celebrius, vsurpato scriptoribus sacrisque prophetis more ponitur. Deinde in probatis illis officijs, ab ora maritima postque Oceani difficultates permeatas, in Galliæum limitem effusa Barbarorum procella dicitur: quod de primis cladibus prorsus statuendum, non postremis, quando iam fœdus eâ lege cum Caluo &. Crasso Imppicerant, vt sedes in Aremorico, Hollandico, Frisioque solo armis partas seruarent, inque his quiescentes tanquam in suis, non lacesserentur. Obvia quoque ab Oceani littore ad Agrippinam vsq; Coloniam tunc vastata; non etiam ipsa, *magni nominis vrbs* (vt Ammianus vocat) deleta scribitur; quod primũ sub an. 880. contigit: ita vt excidij postmodum secuturi præludium hoc quoddam fuisse videatur, quod comparatione sequentium quia minus exitiale visum, ideò subobscurius scriptis Historicorum mansit; nisi quòd ex Sigeberto intelligis, Antwerpiæ tunc iniectas faces non tantùm per-

De bellis Mithrid.

In fast. SS. in Liberto. Disput. de Epis. prim. Tungr. c. 5

Digitized by Google

per vicina locorum grassatas, aliquam Belgicæ partem absumpsisse, verùm etiam quòd Galliarum nomen eo æuo complexum est, grauiter & dirè infestasse. Sequitur illud, quòd *Libertus persecutionem declinandi studio fugam capessiuit*: quòd quidem in animi inertiam, vel mortis metũ, aut virtutis eius consummatissimæ dedecus, conferendum minimè homo sanæ mentis putauerit. Hoc quippe per id temporis ob cruciatuum, quos inferebant Barbari, acerbitatem à plerisque factitatum scribit Sigebertus. Supplicia adhæc quædam & funera, quæ vel Mars ipse Geticus horrere & lacrymis prosequi potuit, describit Ægidius in Leodiens. Antistitum gestis: Leodij in Abbatia S. Petri, Monachorum à Nortmannis cæsorum capite clauis ferreis & capitalibus confixa, inuenta fuerũt in pilarijs &c. Verùm in athleta nobili cõsilium illud magis, quod Christus dedit, & quod ampliùs præceptum D. Athanasius interpres asserit, locum habuisse certum est: *Cum*, inquit, *persecuti vos fuerint in ciuitate ista, fugite in aliam. Et cùm videritis abominationem desolationis, fugite &c.* A quibus Apologiam pro sua fuga exorsus Athanasius, ita Oraculi obscurioris sententiam edisserit: Hæc cùm scirent sancti, eiusmodi tenuerunt suæ conuersationis institutum. Quæ enim tunc præcepit Dominus, eadem quoque ante suum in carne aduentum locutus est in Sanctis, & hoc institutum homines ad perfectionem ducit. Nam quod Deus iusserit, id omninò faciendum est. Ideòque & ipsum Verbum propter nos homo factum non indignum putauit, cùm quæreretur, quemadmodum & nos, abscondere se, & cum persecutionem pateretur, fugere & insidias declinare. Et paullò post: At vero Sancti homines, cùm hanc quoque formam à Saluatore didicissent, vt legitimè certarent, fugiebant, & ab illis quæsiti se abscondebant. Cùm enim præstituti sibi à Diuina prouidentia temporis finem ignorarent, nolebant insidiantibus se temerè tradere; sed potiùs in finem vsque perseuerabant, *circumeuntes*, vt ait Apostolus, *in melotis & pellibus caprinis, in solitudinibus errantes, & in spelæis & cauernis terræ latentes*, quoad vel definitum mortis tempus veniret, vel qui tempus ipsũ definierat Deus, insidiantes cohiberet; aut certè persecutoribus eos traderet, vtcũque illi placuisset. Quod verò Libertus vt periculo se eriperet, in Hasbaniam potiùs, quàm aliò quòuis concesserit, præter amicorũ causã probabilis hæc, quòd per Oceanum in hos tractus Dani

In Franc. c. 37. apud Chapeauil.

In Apolog. de fuga sua

effusi Galliarum extima percursarent, neque huc progressuros metus esset, vnde vix exiguo spatio Heristallum & Aquæ Impp. palatia distarent. Huc igitur vt populando; siue vt Theodoric. Libertum persequendo peruenêre: fugam non protulit; siue quòd ætate fractus elabi diffideret: siue magis, quòd vitæ satur & dierum plenus ad mortem adeò gloriosam, Deique & fidei, quam strenuè totque laboribus propagârat, caussâ subeundam sponte procurreret, gauderetque catastrophe licet in speciem tragicâ, sibi tamen periucundâ ætatis vltimæ actum terminari. Neque certè illa apud Tragœdum Herculis Oetei pars postrema, plus lætitiæ, vel mœroris & turbæ minus habet, in qua ille *tenens signa siderei poli* planctus vetat, quòd Virtus illi, *In astra, & ipsos fecit ad Superos iter*. Atque ita quidem, vt extremis versibus *Io triumphe*, *Nouumq; templis additum Numen*, Matris etiam Alcmenæ plausibus acclametur. Quæ non vt illic fictitiè, sed reuerâ, feliciùsque ac copiosiùs Liberto ab Ecclesia Matre præstita, ex quotidianis Religionis cultibus, nuperisque illis pompæ celeberrimæ, quâ Lipsanorum eius portio accepta, apparatibus nemo non fateatur. Postremò, ne in calce cerastes aliquis mordeat, præoccupo quædam potissimè à Baronio & Sigonio grauissimis auctoribus scripta, de Normannis in Frisia his 2. annis repressis fugatisque: & coronidis instar horum anacephalæosim texo. Anno 835. Ludouicus Pius receptis superiore anno Imperij fascibus, & ab Episcopis nunc iterum restitutus, in Theodonis Villa, & Metis conuentus vsq; in æstatem agit: Nortmanni interea circa Rheni, Scaldis, & Mosæ ostia, perque reciprocos æstus Oceani vecti in Germaniam nostram irrumpunt, & longè vsque ad Vbios, quâ celeritate prædones solent, vagantur populabundi. Antwerpiâ tunc incensâ in alias vrbes Belgicæ, Mechliniamque grassatum, & Libertus Trudonopoli ex fuga retractus, gladijs impiorum Martyr occubuit, cum alijs multis suæ adoreæ socijs, vt res ipsa loquitur, & Trudo de Busco disertè tradit. Imp. acceptâ cladis tã diræ famâ militẽ conscribit, quem exauctoratus dimiserat: & Nortmannos fugientes, vt Sigonius hoc anno refert, in Frisiam vsq; prosecutus ad nauigia remigrare compellit. Eosdem rursus in Frisiam citò reduces an. 36. quod Baronius ait, missus obviam miles fugauit: sed Imperatore à vere primo vsque ad Martini ferias in Francia moras trahente, Nortmannis Walechriam inuadendi, stragesque quas an. 36. adscribunt, instaurandi

Seneca in Herc. Oet.

Adam 836 l. 4. de regno Ital. an 835.

facilis & prona occasio fuit. Facta sunt hæc omnia ætate, & signatè Eggihardum Walachriæ Comitem cum alijs multis, hoc anno XV. Kal. Iulij à Nortmannis trucidatum Annales Pithœi memorant: vt non vanè diuinet Molanus, cùm in Natal. Libertum prid. Idus Iul. passum significat. Vixit autem octogenario maior; quod nulli incredibile, aut fabulæ proximum videri potest. Certè aliqui scriptores quàm temporis parcissimi, vt res gestas singulorum rectè ordinent, 70 ferè annos Seruatium Episcopum præfuisse Tungris: Remigiũ etiam amplius 74. Rhemensem Ecclesiam administrasse tradunt: cùm tamen genuina eius acta per Vandalos perijsse, Ebbonis superiùs querimoniam audieris. Facit quippe tam grandis, non enormis ætas ad virtutis Liberti laudem, victusq; in ipso parsimoniam & animi moderationẽ, quibus maximè vita propagatur, commendandam: vt magnis illis & longæuis Antonio, Paulo, Pachomio, Arsenio, Hieronymo, alijsque quos ad summam senectutem his artibus peruenisse constat, meritò Libertum anumeres. Illum autem quòd Iuuenili specie nobis exhibeant pictores; credo decoris & ætatis quæ armis ferendis esset idonea, curam illis præcipuam fuisse: quippe Ouidius: *Turpe senex miles*

Lessius De valetud. cũ sens. cap. 7

& dilertissimus ille Iusubrum Antistes Ambrosius: *Confectis & miles stipendijs arma deposuit, & relicto officio quod gerebat, ad propria veteranus rura dimittitur*; vel certè illius ratio habita, quòd nobilissimum stemma, opesq; & cetera caduca adolescens, imò penè puer calcans, Diuinis se totum obsequijs mancipârit. Postrema tamen ex argento, condendo Martyris Cranio sumptuosè hîc comparata effigies, prorsus senem lineamentis vultus & specie repræsentat. Porrò Liberti cæde sic hactenus, vt licuit, expeditâ, restant funeratio, miracula, inuentio, festi cultus, alijque honores, vt ætæ dicatæ: quæ omnia ex Theodorico, Mol. Mir. Ampl. D. à Wachtendonck, & scriptis mihi à R. adm. P. Huberto à Sutendael Electo Abb. Trud. missis breuissimè exequor. Saerum corpus cùm priùs diebus aliquot luce multâ effulsisset cœlitus, ante ipsam D. Trudonis aram, vbi Deo ceciderat victima, in vrna lapidea tumulatum fuit: *Vbi* (advoco Gramaium) *Miraculis claram ostendit Deus necati sanctitatem.* Neque ibi modò, sed ad Libertum quoque pertinere asserо; quod post Fredegerũ Liræ à Barbaris obtruncatum, historia S. Gummari, Deo vltore, accidisse recitat: vt illorum Du-

l. de viduis prope fin.

Wachtend. c. 30. vita S. Rumol. l. 2. Mirac. sect. 2.

Digitized by Google

Haræus ad an. 835. Duces Reolfus aluũ purgans viſceribus effuſis, Reginariũs oculis captus dirâ morte mox in reditu extinctus fuerit: eodem quippe anno illi Mechliniâ euerſâ. Martyrij palmam adepti ſunt. Quæ verò poſtea ſpeciatim contigerint, poſteritati non fuit traditum. Non ambigunt tamen RR. Aſcetæ Trudonenſes plurima eius meritis patrata, quamvis non tributa: quòd, vt ipſi & Moringus teſtes, *Ia Vit. S. Trudonis.* *Incredibile memoratu, quot quamq; illic loci prodita ſint miracula, atque cùm aliàs, tum verò ab an. 1054. vſq; ad 82. Quâ tempeſtate nec Monaſterijs quidem omnibus opem poſtulantibus ſufficiebat, ſed nec ipſum oppidum. Foris paſſim videre erat fixa tentoria, perinde ac in iuſta opidi obſidione.* Quæ prodigiorum crebritas & magnitudo etſi ad invocatam opem S. Trudonis magnam partem euenerit, vt Stepelinus Monachus libro tunc ſcripto prodidit: Corpus tamen eiuſdem Sancti Confeſſoris in loco conſpicuo minimè eleuatum erat, ſed vnà cum ſacris pignoribus Eucherij & Liberti ab æuo Nortmannorum humo defoſſum vſque ad an. 1169. delituit, quo reperta illa, elata & in thecas decenter ſuerunt repoſita. Neque veriſimile eſt ſolum Trudonem, ſed etiam conſortes ſanctitatis in anguſto ſacelli vnius ambitu quieſcentes votis fuiſſe peregrinorum interpellatos, ac miraculorum illorum ſubinde gloriâ coruſcaſſe. Hiſtoriam verò ſingularem inuenti Corporis B. Liberti perſtringunt Annales Trudonenſium manu exarati, quorũ mihi vſum fecit R. adm. D. *3 part. lib. 4 cap. 1.* Aubertus Miræus Decan. Antverp. & ſuo fauore, quæ in id genus eius humanitas eſt, qualiacunq; hæc ſtudia noſtra iuuiſſe voluit. Ita illi, ſed fuſiùs: Anno reparatæ ſalutis 1169 (malè Moringus 1133) cùm Wiricus Abbas deſtructâ Eccleſiolâ, quam cœnobio ante aliquot annos exuſto ſuper ſepulchra SS. Trudonis & Eucherij conſtruxerat; noui operis fundamenta iacturus, terram altiùs effodi iuſſiſſet: repentè in læua chori parte ad meridianam plagam ſarcophagus eo loco apparuit; vbi fama vetus apud nos erat S. Liberum Martyrem humatum iacere. Quo aperto & inſpecto, ſacra pignoris oſſa à nobis inuenta, ſimul pleraque exceptis paucis maioribus, cum omni carne in cineres abiêre. Sanguis conglobatus in eadem vrna fuit. De capite verò nihil deeſſe præter cerebrum inuentum eſt [ita ex aſſertione veridica R. adm. D. Abb. Trudon. reſtituendum curo] Tandem poſt laudes grateſque ſolenni ritu & frequenti populo Deo perſolutas, collectus S. Puluis & in palla munda

eum ossibus positus, in scriniolum serico ornatum à nobis reuerenter relatus fuit. Hactenus Chronicum. Ex hisce B. Liberti Reliquijs, anno 1631. partem insignem cranij (de quâ dubitarum, an Translationis nomen mereretur, sed non sufficere plerique censuerunt) Illustrissimo Archi-Episcopo Mechlin. IACOBO BOONEN Ascetæ Trudonenses, velut thesaurum super gemmas & aurum pretiosum misêre. Post corpus inuentũ & eleuatum percrebruit Liberti sanctitatis fama; & aliquanto pòst cognomini suo, vt Cœnobij Annales docent, honores publicos & festum sub ritu duplici decreuit Libertus Trudonopoleos Abbas 37. sub annum 1230. Nunc dies illa festi publici pridie Idus Iulij, ab Ascetis Trudon. primatio cultu, seu primæ classis officio, quòd inter Tutelares loci patronos relatus sit Libertus; ac magno tandẽ piæ plebis vndiq; cõfluxu, sub Inventionis titulo celebratur: quo die illam accidisse significat vetus Martyrologium iussu Roberti Abbatis an. 1361. exaratum. Mechliniæ quoque, vt alibi dixi, præcipuâ celebritate & cũ plenariæ Indulgentiæ fructu, in ade Metropol. Martyri solemnitas, non tamen publica (quod optandum foret) peragitur. Adhæc vtrobique ei dicatæ aræ, Mechliniæ in Chori ambitu gladiatorum simul ædicula est, Liberti solidâ & picta effigie insignis. Trudonopoli verò an. 1533. Georgio Sarens Abbate, altare in odeio templi SS. Trudoni, Eucherio & Liberto inscriptũ fuit. Postremò ne quiddã Martyris memoriæ (sacrũ omittam, est lapis inter Ecclesiæ cancellos ac odeium tapete stratus & crate ferreâ septus, ne profanis pedibus violetur, longus verò pedes 8. latus 4. quem S. Pũgilis sanguine purpuratum, Maiorum traditio firmat. Sed potissimè pretium meretur & habet vrna illa saxea senos ferè pedes longa, in qua corpus sanctum primitus humatum fuit. Est ea nunc muro superioris chori ad lævam maioris aræ inserta cum epigraphe: *Sepulchrum S. Liberti Martyris. Anno 883. S. Libertus &c.* Et quia de Sanctis aliquid nouæ prius semper & iucundum accidit: ex hoc monumento assequeris Libertum staturâ corporis fuisse mediocri, & æquali ferè cum Rumoldo, quem inspectio Præsulis Camerac. Duce Burgundo Abbatibusq; septem testibus an. 1476. facta, senos huius vrbis pedes, id est, 5. paullò ampliùs vulgares præstitum reperit. Et hæc ex immenso virtutum ac rerum tuarum cumulo, quando cetera nefas, in notitiam protulisse hominum, quâ licuit

VVachtend. c. 51. vitæ S. Rumold.

fide & candore maximo sufficiat; quæ tibi, Christi Martyr sanctissime LIBERTE, tanquam ingenij mei primitiæ præcoces, neq; calenti studio satis decoctæ, sacra & dicata sunto. Da in Theoriæ otio, & seorsim paullùm ab his studiorum tumultuarijs negotijs veriora de te, & illud, *quod intrinsecus latet*, non iam face aut labore meo, sed Diuinæ lucis radio præduce vestigare, venerari & imitari possе. Vos quoque Mechlinia & Trudonopolis, in quarum gratiam vsumque hanc opellam potissimè elaborasse volui, pugilis vestri fidem, religionem, constantiam, charitatem tandem, qua maior esse nequit, quâ facitis, pietatis praxi sectari & colere, perseuerate. Neque enim tam vos felices aut Martyris partu & domicilio, aut tumulo; quàm beatæ, si quæ dictis & factis docuit, exercebitis, faustitatis huius in istis bellorum & temporũ calamitatibus tantùm cupidæ, quam disertissimus Pontificum hisce describit: *Si mens Rectori suo subdita, & superuis muneribus delectata terrena voluptatis incitamenta calcauerit; ordinatissimum tenebit totio principatum, & munitiones eius nulla spiritalium nequitiarum labefactabit illusio: quia tunc est vera pax hominis & vera libertas, quando & caro animo iudice regitur, & animus Deo Præside gubernatur.* Da hanc vtrique Libertatem LIBERTI meritis, magne liberator Deus.

Cantic. 4.

S. Leo serm. 2. de quadrages.

FINIS.

PER-

Digitized by Google

PERMISSIO SVPERIORIS.

EGo IOANNES HVGO QVARRE *S. Th. Doctor, Congregationis Oratorij D.* IESV *in Belgio Præpositus concedo* HENRICO IAYE *Typographo jurato Mechl. facultatem diuulgandi* Vitam S. LIBERTI Martyris historicâ Face & Poëmatis varijs per P. IOANNEM ANT. A GVRNEZ nostræ Congregat. Presbyterum illustratam, *præmissâ censurâ ordinariâ. In cuius rei fidem manu meâ subscripsi, & hanc licentiam nostro sigillo muniui. Mechliniæ, 8. Martij. 1639.*

I. H. Quarré

APPROBATIO CENSORIS.

BEnè, elaboratè, & adornatè, tam prosâ quam versu, descripsit R. P. IOANNES ANTONIVS A GVRNEZ, Presbyter Congregat. Oratorij D. IESV, vitam Beati Martyris LIBERTI, quam vt ad instar facis luceat hominibus, & glorificent Patrem qui in Cælis est, prælo dignissimam censui, hac 17. Ianuarij 1639.

ALEXANDER VANDER LAEN.
S. Th. L. Can. & Archip. Mechl.

Digitized by Google

ERRATA.

Ode Nuncup. l. 10. lege, Nobili. p. 39. l 6. dele Pia. p. 43. l. 3. ſcribe Procœmium. p. 112. l. 4. lege, indeciſam. p. 113. l. 6. ſcribe pœnitentia. p. 130. l. 6. pone, Lipſius & Scribanius. p. 144. l. 20. lege, luſtralibus. p. 148. l. 1 lege Rumoldus. p. 161. l. 2. explica, Notatum. p. 169. l. 14. lege an. 1155.

Pauca alia quæ irrepſêre, emendabis Lector.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google